

TRIUMPHUS MISERICORDIÆ,

ID EST

SACRUM ORDINIS SSS. TRINITATIS INSTITUTUM REDEMPTIO CAPTIVORUM,

CUM ADJUNCTO

KALENDARIO ECCLESIASTICO-HISTORICO UNIVERSI ORDINIS.

AUTHORE,

P. F. JOANNE à SANCTO FELICE, *ejusdem Ordinis, & Instituti Sacerdote Professo.*






VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis *Joannis Van Ghelen*, Sac. Cæs. Majest. Aulæ Typographi Italici.

M. DCC. IV.

eXaVDIVIt paVperes DeVs, et VInCtos sVos non DespeXIt. psaL. 68.





ILLUSTRISSIMO DOMINO, DOMINO FRANCISCO GEORGIO ENGEL AB ET IN WAGRAIN, LIBERO BARONI,

Domino Dominiorum Seisenburg, Pettenbach, Millbach, & Fels, Sacræ Cæsareæ Majestatis Actuali Camerario, & Inclyti Judicii Inferioris Austriæ Assessori.

DOMINO, DOMINO, MECÆNATI MEO GRATIOSISSIMO.



Ebus omnibus semper sua fuêre Numina, sua semper fuêre Præsidia; quorum vel auctoritate niterentur, aut tutarentur dignitate: Et hic Tractatus de Claustri tenebris in lucem prodituus severio-

verioris luminis inexpertus aspectu, ne unquam offendat in lapide pedem, de sua tutela solicitus Angelum Tutelarem efflagitat. Recto igitur tramite ad TE, Illustrissime Domine, *tot gratiis & beneficiis provocatus tendit, qui Avitici Nominis Gloriâ* ANGELI *agnomine non sine omine gaudes; Etenim vix Gentilitia Tua tricolore albo, cæruleo, rubroque rutilantia conspexi Insignia, dum jam tentavit animum* Angelus *ille, qui totus candidus cærulei, rubrique coloris insignitus Cruce, binosque Captivos ad latera cancellatis brachiis tenens, primùm Parisiis S. Joanni Mattensi Proto-Parenti nostro, demum Romæ Innocentio III. Summo Pontifici Sacrum operantibus se videndum concessit, quo ænigmate significavit, atque monuit, in Ecclesia Dei instituendum esse Ordinem, toti Christianæ Reipublicæ utilem, SSS. Trinitatis nomine intitulandum, qui Fideles Captivos ab Infidelibus redimeret. Sic scilicet non inopportunè Redemptionem Captivorum* Angelicum Munus, *& Institutum quis affirmaverit; asseruit hoc Petrus veritatis firmamentum, & Petra Ecclesiæ vinctus catenis duabus ab* Angelo *solutus, & carcere eductus,* in Actibus Apostolorum cap. 12. *inquiens:* Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum

§ 3 suum,

ſuum, & eripuit me de manu Herodis. *Profectò non pauci poſſent numerari Chriſtiani, quos tuâ munificentiâ, quos mediis omnibus, quibus potuiſti, de jugo, de crudeli Turcarum manu eripuiſti, & in veritate dicere poſſunt:* Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum. *Verè* Angelus, *qui aliorum proſpicit incolumitati, & in publicæ ſalutis commodo totus intendit. Nemo eſt*, Illuſtriſſime Domine, *qui Tua opera ad conſervandum, & augendum bonum publicum non ſuſpiciat; ut enim aliorum indefeſſus adminiſtrares, & conficeres negotia, omne relegâſti otium. Quare non immeritò Te Tua in Rempublicam præclara merita & Inclyti Judicii Inferioris Auſtriæ Aſſeſſorem digniſſimum conſtituerunt, ubi æquitatis & recti amore ita emines, ut prudentiam in diſcernendis, ſapientiam in definiendis, in utroque Juſtitiam, admirentur omnes, & omnes deprædicent: Quæ cùm inſigni virtutum ſplendore, & morum integritate conjuncta ſint*, AUGUSTISSIMUM D. N. LEOPOLDUM *Romanorum Imperatorem moverunt, ut* TE *ſibi in actualem Camerarium eligeret; ut ità ex hac Illuſtriſſima Stirpe haud unquam ullus deficeret, qui Auguſtiſſimam Auſtriacam Aulam non illuſtraret. Etenim ante*

quatuor

quatuor prope Sæcula, ut ex antiquioribus Documentis Posteris compertum manet, Anno nimirum Domini 1330. Albertus Engel *Gentis hucusque propagatæ Proto-Parens Friderici Austriaci Venationum Præfectum egit, quod & Genethliaca Insignia erecti ad saltum Canis in scuto per medium partito in albo rubri & in rubro albi haud obscurè denotant: Posteri ejusdem de Burgstall, quod Maximiliano I. Imperatori postea vendiderunt, se cognominantes, aliud Castellum Wagrain nomine Anno* 1425. *prope Vöklabrukh, Civitatem in Austria Superiore ad Confinia Bavariæ, & Salisburgi sitam, sibi erigentes, illud Privilegiis desuper speciali indulto & Principum gratiâ concessis possidere cæperunt; & ut Bonum Genethliacum nunquam interruptâ serie hucusque possident, & ideo tam Insignibus, quàm hujus boni derivatione in Posteris renovato pacto continuatâ à cæteris cognomine fortè alludentibus, & in Austriacorum Statuum Matricula notam & apertam omnibus distinctionem hoc ipso palam inducunt. Jam mihi quis omnes hujus generosi Sanguinis Insignes Heroes enumeret velim, quis eorum gloriosa in bello & pace per tot Sæcula recenseat facinora? Nec ego in angustissima hac pagina coarctabo Tuorum gloriæ panegy-*

negy-

negyres, *sunt enim*, *ut Virgilius Æneidos* 1. *canit* :

Fortia facta Patrum series longissima rerum
Per tot ducta Viros antiquæ ab origine gentis.

Siquidem inter vetustiores Austriæ Familias infra & supra Anasum non tantùm emicant, *ubi Sago & Toga Patriæ semper profuerunt*, *sed etiam in Franconico Imperii planè Circulo Nobilitate*, *& virtute insigniter claruerunt*; *& licèt hodie bona ibidem possessa ob temporum injurias alienata sint*, *atque Linea ibidem ab aliquot generationibus degens proximè defecerit*, *nisi quòd ex Fœminis in cœlibatu residuis in qua* Domus inclinata recumbit *nominis memoria adbuc extet*, *solenni nihilominus instrumento votum & Sessionem inter immediatum Equestrem Ordinem frequentare omnibus adbuc integerrimè reservatum manet. Jam verò benedicente Domino* Illustrissima Stirps *in duorum Fratrum Lineis in Inferiore atque Superiore Austria à Deo concessa utrinque Sobole virescit*, *quæ ut in finem Sæculorum nunquam interiturâ suorum Gloriâ ad totius Reipublicæ bonum floreat*, *in omnium est votis. Primus hujus nobilissimæ Arboris Ramus est* Illustrissimus Dominus D. Franciscus David,

vid, *ut Senior Avitici boni in Wagrain & Schöndorff Possessor, qui in Superiore Austria non tantùm à Consiliis Proto-Parentum vestigia prosequitur, quin etiam in expeditione præsenti, vel potiùs defensione Heroo Marte contra Bavaros egregiam operam Patriæ præstat, cunctis Proceribus Austriacis imitandam. Alter Ramus in* TE, Illustrissime Domine, *in Inferiore Austria eâdem divinâ benedictione propagatur; nam præter bona hîc propriâ solertiâ comparata, & Dominium Seisenburg ab Avo Tuo felicis memoriæ* Illustrissimo Domino D. Theophilo Engel *à Wagrain Genti acquisitum, in Austria supra Anasum possides, & Posteris utriusque superstitis Lineæ insigni* TIBI *relictâ & ulteriùs promovendâ fundatione conservare atque tueri procuras. Extinctam in Patruele Tuo nuperrimè sine mascula prole defuncto* Illustriss. D. Sigismundo Friderico Engel *à Wagrain, Regiminis Inferioris Austriæ Consiliario, & binorum Bavariæ Ducum Camerario actuali, Lineam Lizelbergicam, quam bini Fratres, nimirum* Illustriss. D. David à Wagrain, *& alter* Simon in Lizelberg *diviserant, quorum posterior Linea in Franconiam immigraverat, priorem verò ut in Austria continuares quarto consanguinitatis gradu* TIBI *cum*

§ § con-

conjuncta Illustrissima Domina Anna Margaretha Englin *de Wagrain*, *Filia* Illustriss. D. Sigismundi Friderici; D. Simonis Engel *de Wagrain & Liezelberg Pronepte, priùs impetratâ Apostolicæ Sedis dispensatione desponsatus, & eandem* TIBI *Sacrosancti Matrimonii devinxisti Sacramento, & ex utraque Linea simul in Abnepotibus* Illustriss. D. Stephani *conjuncta Prolem ad ulteriorem posteritatem divinâ misericordiâ in concessis tibi Masculis reviviscere fecisti, quos DEO, Patriæ*, CÆSARI, & Illustrissimæ Tuæ Familiæ *liberali educatione instituere, & derivatam à Majoribus Nominis Gloriam, atque memoriam propagare enixè conaris; in omnibus utique propter maximam Spem Reipublicæ utilissimus futurus, dum quidquid Tuum & Temetipsum totum publico commodo utendum proponis. Ut* VIRO *ergo publicæ Salutis studiosissimo Tractatus hic de Redemptione Fidelium Captivorum, quæ non infimum Reipublicæ commodum esse dignoscitur, dedicatur, & consecratur, naturali quodam pondere, & simpathiæ necessitate, quam* Angeli *cum Redemptione habent, Tuis venerabundus illabitur manibus, tantò majori cum fiducia, quantò majori affectu nos, & omnes, qui ad promovendum bonum publi-*

cum

cum nonnullam curam, industriamque conferre videmur, complecteris; ut valeas igitur & vivas cum Tuis in felices & prolixos Annos, & semper Tua in salutem plurimorum, & incolumitatem desideria compleantur, cœloque perennes; SSS. Trinitatem humillimis atque continuis precibus supplex oro, atque obsecro, meque TIBI *cum hoc Opusculo totum transscribo,*

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ.

Viennæ,
HæC DabaM In sanCtI georgII festo.

Humillimus Servus, & Capellanus,

FR. JOANNES à SANCTO FELICE.

APPROBATIO.

INjuncto nobis per N. Adm. R. P. Fr. Martinum ab Ascensione per Germaniam & Ungariam Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Generalem Commissarium, & hujus Collegii Viennensis meritissimum Ministrum, præcepto satisfacere cupientes, Opus hoc, cui titulus est *Triumphus Misericordiæ, cum adjuncto Ordinis nostri Calendario*: concinnatum à P. Fr. Joanne à Sancto Felice, nostræ Sacræ Religionis Theologo, perattenter legimus; nihilque in illo Fidei, Catholicæve Religioni, aut bonis moribus adversum offendimus; nihil obvium historicæ veritati. In cujus elucidatione mirus, in propugnatione clarus, in stabilienda firmus. Unico verbo: noster Scriptor omnia ut veritatem teneat, quantùmvis profunda, scrutatur. Videmus fructus adhuc in vere ætatis maturos, in locutione elegantiam, in electione perspicaciam, in scientiis notitiam. In hoc Opere, & Humanistæ concinnitatem, Historici normam, Pii exemplar, Concionatores acumen, & Theologi lumen invenient: nec procul este Canonistæ & Juristæ. De omnibus agit: omnes itaque de fontibus hujus Operis haurietis aquas. Quod tenebris antiquitatum latebat, id jam clarum posteris administrat. Quidquid in variis dispersum Authoribus videre est, id in unum tanquam Apis Argumentosa collegit: ut rectiùs de illo, quàm de Castilone possimus dicere:

In te mixta fluunt, & quæ divisa beatos
efficiunt, collecta tenes.

Redemptricem hanc Candidam Familiam ad instar Christi Redemptoris effigiei delineat optimus Pictor, verus Historicus, ut cum Tullio de Homero canere possimus: *Picturam ejus, non Poësim vidimus.* Delineatam ostendit Religionem, quam à Deo, non à Sanctis fabricatam Oracula canunt Pontificia; & meritò, nam

Nemo hominum potuit tantam producere formam,
Nempe suâ hîc pinxit se Deus ipse manu.

Quibus

Quibus perpensis dignissimum judicamus hoc Opus prœlo mandari. Viennæ in Austria die 29. Junii Anno Domini 1703.

P. F. JOSEPHUS à MATRE DEI, *per Germaniam, & Hungariam Ex-Commissarius Generalis.*

Fr. CHRISTOPHORUS AB ANNUNTIATIONE, *Sacræ S. Theol. Lector.*

FACULTAS ORDINIS.

FR. Joannes à Sancto Athanasio, Major ac Generalis Minister Ordinis Excalceatorum SSS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. De consensu nostri Diffinitorii Generalis, ut Liber cui titulus est: *Triumphus Misericordiæ, id, est Sacrum Ordinis SSS. Trinitatis Institutum Redemptio Captivorum, cum adjuncto Kalendario Ecclesiastico-Historico universi Ordinis à P. Fr. Joanne à sancto Felice nostri sacri Ordinis Sacerdote Professo* compositus, à Doctis ejusdem Ordinis Theologis recognitus & approbatus, typis mandetur (cæterisque Facultatibus necessariis obtentis) tenore præsentium Facultatem concedimus. Datis in hoc nostro Madritensi Conventu, manu nostra, ac Secretarii nostri Chyrographo subscriptis, Sigillique nostri Diffinitorii impressione munitis, die decimâ nonâ mensis Septembris Anni Domini millesimi septingentesimi tertii.

FR. JOANNES à S. ATHANASIO, *Minister Generalis.*



Mandato P. N. Ministri Generalis,

Fr. GABRIEL à S. JOSEPH, *Diffinitor Generalis, & Secretarius.*

APPROBATIO.

PRæsens Tractatus intitulatus *Triumphus Misericordiæ* (quo *R. P. Joannes à S. Felice* Sacrum Sui Ordinis Institutum SSS. Trinitatis de Redemptione Captivorum convenientissimè per 25. Capita explanat, cum adjuncto *Calendario Ecclesiastico-Historico Universi Ordinis*) accuratè à me revisus est, nihilque in eo repertum, quod vel à S. Ecclesiæ mente, vel à SS. Patrum doctrinâ, vel à morum Regula alienum foret; imo potius ab hoc multiplici eruditione conspicuo Opere indubitanter sperandus non solùm ardentior in Sacrum Ordinem affectus, verùm etiam efficacius ex tenera compassione erga miseros Captivos subsidium expectandum: Quare ex parte mea animitùs exopto, ut hic Tractatus ad felices conatus Authoris, tanquam novus Solis radius in hisce partibus, quò citiùs effulgeat, Typisque divulgetur. Actum Viennæ ad S. Crucem 8. Februarii Anno 1704.

Pr. ANDREAS SCHWELLENGRIBEL, *SS. Theologiæ Doctor, Ordin. S. Francisci Convent. Prov. Austriæ Diffinitor Generalis, & p. t. Inclytæ Facultatis Theologicæ Decanus.*

IMPRIMATUR.

JABOBUS GREYSSING J. U. Doctor, Sac. Cæs. Majestatis in Excelso Regimine Inferioris Austriæ Consiliarius, & p. t. Universitatis Viennensis Rector.

BENE-

BENEVOLO LECTORI PROLOGUS.

AMICE LECTOR.

Hujus elucubrationis causa fuit Consilium quorundam, qui cognoscentes, quosdam nescio quâ ignorantiâ vel passione deceptos, sacerrimum hoc nostrum Redemptionis Institutum calumniari, plurimos vero multa de eodem opinabiliter asserere, aut æquivocari, quædam cum errore sentire, variare quædam, atque confusè miscere: Quare hæc ab ejusdem Instituti Professoribus rectiùs doceri sapienter judicatum est.

Laudo Consilium; sed proposita in materia impar humeris meis impositum fuisse onus, justè conquerar an accusem? Tu ipse, candide Lector, æquus arbiter atque judex esto. Memor imbecillitatis meæ dictis & scriptis satis testatus sum, præsentis intentionis executionem multò eruditius ingenium, longe cultiorem stilum exigere; verùm ut simpliciter obedivi, reus agor; expecto tamen favorabilem sententiam. Satis castigationis, satis mihi pœnarum atque pœnitudinis, prælo premi; nihil enim mihi gravius, quàm ad typum ad perpetuam multorum censuram protrudi, decerni patuit.

Verumtamen quod scripsi scripsi, *tanquam cuique rationem redditurus, vel secundùm meliùs veriùsque sentientis mentem scripta correcturus solius veritatis amator & æmulator: Si quid bene; ad Deum totius bonitatis originem referendum: si quid minus; sufferendum atque ignoscendum in homine. Vix aliquid profero, quod non à multis examinatum atque probatum sit: aliquot abhinc annis investigandis nostri sacri Ordinis notabilibus studium impendi; multum temporis, quod successivis horis licuit, destinavi; ea quæ in diversis Authoribus reperi, diligenter in notatis consignavi, accuratè in pandectas digessi, non ut in similem aliquando servitura occasionem, sed ut de iisdem tanquam de domesticis atque propriis tacitâ consolatione lætarer, & non nescirem ea, circa quæ multos perstringit Juris consultus, nimirum:* Turpe est Patricio jus, in quo versatur, ignorari. *l. 2 §. Servius autem 43. ff. de Orig. Jur.*

Quæ ex diversis accepi libris, suis reddo Authoribus; neque ea, quæ alii

alii graves Scriptores rectè senserunt atque probarunt, mihi praterire decuit; neque licuit eorundem Scriptorum nomina ingrato premere silentio.

Caterùm non vituperes si quid sua occasione commendem, nulli per hoc quidquam detractum velim, neque propriam laudem quid sapiat, neque sordeat, si qua laus est non est propria vel nova, sed potiùs ab aliorum ore deprompta, & quadam laudis repetitio, licèt nec hoc alma mea Religio expetierit, qua semper (ut ipsum ab humanis mentibus absconditum SSS. Trinitatis mysterium, à quo nomen accepit) latere semper amat. Quidquid tamen illud sit, non improbes, quod enim tenerrimè quis amat, hoc colit, hoc & honorat, quare & mihi suavissima Mater mea Religio, sicuti & aliis sua, quantùm licet, quantùm expedit, honorata sit.

In periphrasi non tamen adeo numerosum me existimes; festinantis enim stilus est calamus (*scilicet*) scribæ velociter scribentis, *Psal.* 44. *& pro afflictis in captivitate Fidelibus periculorum pulvere & arumnarum squalore plena legatio est; & ut S. Augustini utar verbis*, Satagentis, soliciti, in tribulatione positi verba sunt ista. *in Psal.* 54. *ad* 1. *verſ. Hinc à Te misericordiam & subsidium pro tua erga Deum & proximum amore imploraturus, pro Mendicis factus Mendicus inflata non protrudam verba, nam ut inquit Ovidius.*

Non est conveniens luctibus ille color. *lib.* 3. *Trist.*

Quod Titulum Libri attinet minimè interest, sive enim Triumphum misericordiæ, *sive librum dè Redemptione Captivorum nominare placeat, questio est, de nomine nihil inficior, neque de re minima ambitiosus contendam. Titulus hic seipsum sponte obtulit, admisi eum nostri saculi Scriptoribus morem gerens, qui suis operibus convenientes quosdam prafigunt titulos. Triumphum verò Misericordia Redemptioni convenire, nunc non est mea probationis argumentum; spero enim, quòd sicut Titulus hic seipsum sponte obtulit, & mihi probavit, Tibi in sequentibus convenientiam sufficientem afferet, & probabit non invito nec invida Lectori, quod fieri facile, nam ut Poeta canit*

Conveniunt rebus nomina sæpe suis.

Quod autem hac omnia Latinis pra Germanis literis exarata sint, factum est ideo; ut de universali ad particulares & vulgares linguas facilior pateat transitus. His Te, Amice Lector, pravenisse sufficiat, quòd si paucos & veniales Typi, correctionisque lapsus pro tua discretione, & affectu condonaveris, ingenti me tibi beneficio obligabis. Vale.

IN

INDEX CAPITUM.

§ § §   CAP. XVI.

PROTESTATIO AUCTORIS.

IN *omnibus, & per omnia Decreto SS. D. N. Urbani VIII. & ejus Confirmationi, Declarationi, Observantiæ & Reverentiæ, ut par est, insisto; quæcunque refero humana duntaxat sub Authoritate assero: exceptis tamen iis, quæ Divinâ revelatione, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel Sedis Apostolicæ Authoritate nituntur. Idque tam sanctè & constanter profiteor, ut decet eum, qui Sanctæ Matris Ecclesiæ semper obedientissimus filius esse, & haberi vult, & cupit. Ita testor & protestor.*

Humilis Fr. JOANNES à SANCTO FELICE.

IN-

INDEX

Rerum Memorabilium, quæ in hoc Tractatu de Redemptione continentur.

§ § § 3

Nostris

TRIUM-

TRIUMPHUS MISERICORDIÆ, ID EST SACRUM ORDINIS SSS. TRINITATIS INSTITUTUM, REDEMPTIO CAPTIVORUM.

CAPUT I.

De Origine, & Antiquitate Redemptionis Captivorum.

1. REdemptio Captivorum, quantum sit opus, quantaque ejus excellentia jam illis temporibus & cognoscebatur, & suspirabatur, dum primùm hominum libertas, quæ naturalis est, in procellosis discordiarum fluctibus periclitari, simul & naufragari cæpit; secundâ nimirum mundi ætate, anno à creatione hujus universi 1931., qui erat ante nostri Redemptoris incarnationem 2122. cùm in Turri Babilonica vana ædificantium fuit disjecta superbia; hæc enim uti omnium malorum est capitale, ità & captivitati mox dedit exordium; nam ibidem unum idioma in septuaginta duas divisum est linguas, quæ divisio lingua-

 rum,

rum, ingentem & animorum causavit divisionem, unde & homines in diversas Regiones diversas sibi Potestates, & Regna constituentes profecti sunt, tandem uti ambitioni, & cupiditati omnia sunt angusta, & augustiora semper ambiuntur, homines inhumanè in mutuas exarserunt cædes & bella, victi in diram abducti sunt servitutem, & pro libidine insolentium victorum pati captivitatis jugum, & leges coacti fuêre.

2. Hac tyrannide primus Nemroth Babiloniorum Imperium, quod militari condidit audaciâ, idem latrociniis, & captivorum ingenti numero, quos ad suam damnavit servitutem, notabiliter auxit; erat enim, ut
Gen. 10. Sacra refert Historia, *Venator robustus*, non tantum Ferarum, sed & Hominum, ut bene plures Sacrorum intelligunt Expositores, affirmantes hunc humanæ libertatis Prædonem hominibus primò contra Jus, & æquum servitutis imposuisse Jugum, quod adhuc eo tempore penitùs inauditum erat, qua imperiosâ tyrannide regnavit Nemroth 65. annis, nimirum usque ad annum mundi 1996.

3. Succedit Ninus ejus Filius, qui dum Babilonico imperari cæpit Imperio, Assyrium quoque ab Assue Semi Filio similiter conditum martiali adjunxit violentiâ, ut ita Imperium unum alterius firmaretur ruinâ. Nec his exsaturata ejus ambitio, septemdecim imò continuò annis universam depopulatur Ægyptum & Asiam, integras opprimit colonias, easdem in vincula cogit, & ad perpetuam mancipat servitutem; & inde est, quòd ex mancipiorum sudore in Assyria ad Tigrim Fluvium à suo nomine Ninivem magnam condiderit Civitatem, ibique felicitate & victoriis insolens idolomaniæ infami immanique sceleri dedit principium, & cum seipsum fingere Deum ausus non erat, se Filium Dei impudenter mentitus est, Patrem itaque Nemroth (idem qui apud Historicos Belus, apud Hebræos Baal, apud Gentiles & Poëtas Saturnus dicitur) Deum vanissimè in Statua proposuit, mortuum immortalem dixit, eidemque, ne quid ad

ad injuriam Creatoris abesset, Divinos tribuit Cultus, supplices ad Idolum inclinari voluit, & ad summum nefas devictis hostibus in hostias miseros illos mactari jussit homines, quos infelix belli alea perdiderat, victorique concatenaverat.

4. Sed tot Captivorum miseræ cædis unica ultrix captiva, nam ut sæpe solet ipso scelere plecti ipse scelestus, & Ninus dignas crudelitatis suæ pœnas dedit: etenim in bello, quod in Zoroastrum Bactrianorum Regem gessit, Semiramidem formosam illam, & super fidem arrogantem fœminam cæpit, probrosum instrumentum pœnæ! Hanc ob insignem speciem in sceptri thalamique consortem evexit, quæ suum excelsum animum ad mundi imperium uxorio Principi facilè insinuavit, & Sceptrum Virgam Regalem tentavit, si posset Regi molli extorquere manu, quod & moderaturæ Rex pleno Jure indulsit in diem, propiore periculo quo breviore impotentis imperio. Ninus Exrex? Væ! malum omen! Tremunt mundi cardines! Fœmina, quondam mancipium Rex est: ambitiosa ecce Mulier, ne cum die expiret potestas, pro viribus imposterum cautura miserrimum obtruncat Ninum. Ità justissimus Deus in Tyranno vindicavit scelus, ut qui captivos sacrilegè Idolo sacrificavit, ipse captivus, & plùs quàm mente captus turpiter fœmineæ litatus sit ambitioni.

5. Pariter jam eo tempore, & insigniter procuratum fuisse redemptionis negotium, in dubium verti non potest, maximè cum propter captivitatem correlativum ejus redemptio sit, quod in ipsis adhuc irrationabilibus experimur: de Elephantibus scriptum reliquit Plinius, *Lib. 8. cap. 8.* cùm quis eorum in foveam cadit, cæteri naturali compassione moti lapso succurrunt, aggeres devolvunt, truncos ramos, & lapides injiciunt, usque dum foveam adimpleant, ut ita delapso paretur egressus. De Panthera refert apud eundem Plinium Demetrius Physicus; *Lib. 8. cap. 17.* cùm Catulos suos in foveam lapsos eripere nequivisset, jacuisse in via publica, & viatorem illic transeuntem ve-

ſte prehensâ leniter ad ſoveam abduxiſſe, quaſi precabundam, ut ſibi Catulos reſtitueret, eoque obtento comitatam eſſe per Sylvam in tuta. . Simile Charitatis obſequium in Piſcibus Ælianus deprehendit, refert enim lib. 1. animal. de Scauris quodam Piſcium genere, ſi qui ex ipſis naſſam ingreſſi captivi facti ſunt, eam circumnatant, & captis vel caudam porrigunt, ut captivus eâ mordicùs apprehensâ eluctari queat, vel illorum caudas apprehendunt, & prehenſos extrahunt. Sic videmus in aviculis, dum quæ in caſſes incautè ruit, eandem Socius proprio cum periculo redimere tentat; & ferociſſima Leæna, Tigriſque raptis catulis omnem movet lapidem, ut ſuorum vindicet libertatem, ſuoſque quos liberos peperit, ſuâ vivant libertate naturali, pro viribus contendit: nec Tigride, nec Leænâ Homo immiſericordior, nec natura contra naturam homini ſepivit marmore Pectus, ut ad miſericordiam moveri nequeat, neceſſitudo enim exigit, ut Conjunx Conjugi, Frater Fratri, Conſanguineus Conſanguineo, Amicus Amico, imo Homo Homini corde unus cum miſero ſit miſericos. Hinc non inhumanè M. Antonius Verus Imp. Romanorum dicere ſolitus: *Inhumanum eſt humanis caſibus, & calamitatibus non ingemiſcere.* Quo concluſeris immemorabilem Redemptionis originem, & antiquitatem, ſimul & celebritatem.

Lib. 1. animal. cap. 5.

Capitolinus in Anton.

6. Contrà autem opponenti, hanc eſſe quandam ſpeculativam antiquitatem, repono, practicam redemptionem tam antiquam eſſe quàm Abraham, tam celebrem quàm ipſum Credentium Patrem, imò ac ipſum celeberrimum ac antiquiſſimum Stemma Chriſti noſtri Redemptoris. Hæc æterna Spiritûs Sancti eſt Veritas Geneſis 14. dum contra Gentes ob quinque Civitates, & Reges à Græcis vocatas Πενταπολίτας, nimirum contra Reges Sodomorum & Gomorrhæ, contra Reges Adamæ, Seboim & Segor, quatuor adverſarii Reges nimirum Rex Sennaar, Rex Ponti, Rex Gentium, qui hodie Perſæ ſunt, cum Duce Chodorlahomor Rege Elamitarum,

mitarum, cui poſt duodecennium excuſſerant ſervitutem, ingenti cum exercitu in ſervitutem redigendas acceſſerunt; cruentum utrique incertâ victoriâ adoriuntur prœlium, ſed cùm Sodomitæ cum ſequacibus jam corruptiſſimis moribus (ut Deus optimus hos ante incendii exterminium mitiori, ut ſolet, refrœnaret manu) cæduntur, fugantur, & plurimi eorum in captivitatem vincti abducuntur; inter quos & Lot Filius Fratris Abraham, ut pravi conſortii pænas daret, captivus ducitur, Abrahamus conſternatus ad nuntium, & ut Nepotem reduceret, expeditis mox vernaculis ſuis trecentis & octodecim, armatâ manu perſecutus eſt Perſas, & intempeſtâ nocte irruit ſuper eos, ſic quos victoria incautos fecit, in fugam egit, captivis, prædâque victrici Abrahami dextræ relictis, & ità Lot à ſervitute Perſarum jam anno mundi 2118. inſigni redemptus eſt exemplo.

7. Antiquius adhuc hoc exemplo eſſe redemptionem captivorum, rationi planè conſentaneum eſt, cùm poſt tot ac tanta bella Lot primus non fuerit, qui captivitatem pati coactus ſit, & cùm tam antiqua adhuc ante Abraham ſit redemptio, ac ipſa captivitas, uti R. N. P. Raphaël à Sancto Joanne N. S. Ordinis Emeritus Major ac Generalis Miniſter in ſuo Redemptionis Opere eruditiſſimè probat; inde eſt, quòd nec Abraham primus fuerit Captivorum Redemptor, ſed ante illum fuiſſe innumeros, cùm in natura humana magis univerſalis ſit Miſericordia, & Clementia, ac ejus contrarium crudelitas, & tyrannis, quæ ruina, & naturæ deſtructio eſt.

CAPUT II.

De Dignitate, & Excellentia Redemptionis Captivorum.

1. ANtiquitatem vidimus, hujus (ut talis) antiquitatis dignitatem atque excellentiam ampliùs inſpiciamus, & dum poſteriora probamus, priora ſimul & confirmemus ac ratificemus: Res utique tantò eſt laudabilior, quantò pluribus retro ſæculis laudabilis extitit. Nihil miſericordiſſimo Deo antiquius, nihil eo excellentius, *miſerationes*, enim *ejus* (teſte Regio Pſalte) *ſuper omnia opera ejus. Redimere ab hoſte captivum* (aſſonat Divus Lactantius) *magnum miſericordiæ opus eſt.* Imò ut Urbanus VIII. Pontif. Max. affirmat. *Pium hoc opus cæteris miſericordiæ operibus antecedit, & in quo ferè alia omnia quaſi per compendium exercentur.*

Pſal. 144. *Epitome inſtit.* *In Bulla incip.* Salutaribus.

2. Miſericordiſſimus Redemptor Deus populum ſuum ob peccata in captivitatem diverſorum Regum & Gentium lapſum, redemit ſæpiſſimè: Divinum planè officium, Redemptio ſcilicet captivorum. Inde apud Iſaiam tanta gloria: *Redemit Dominus Jacob, & Iſrael gloriabitur: Dominus Redemptor tuus.* Per manum enim Moëſes populum ſuum de Ægyptiaca Pharonis redemit ſervitute: porrò à captivitate Chuſan Raſathaim Regis Meſopotamiæ, quâ octo annis ſub jugo ingemuit per Othoniel: à Servitute Eglon Regis Moabitarum, quâ decem & octo annis premebatur per Aod: à Servitute Jabin Regis Chanaan per Deboram Barac & Jahel: à Servitute Madianitarum per Gedeonem: ab Amonitarum per Iephthe: à Philiſtæorum per Samſonem: à jugo & captivitate Babilonica per Cyrum Regem Perſarum: & ut in propria Perſona univerſum genus humanum à Servitute peccati, & à Satanæ laqueis redimeret, venit de ſummo cœlo, factus homo, & infinitâ excellentiâ proprio ſuo Sanguine & vitâ ſeipſum pro

Cap. 44. *Exod.* 12. *Judic.* 3. 4. & 6. *Eſdras lib.* 1. *cap.* 1.

pro nobis in cruce lytrum deposuit. Tanti constitit Deo titulus & officium Redemptoris; tanti verò fuit ejusdem officii & tituli existimatio, ut eundem Redemptoris nimirum, Creatoris titulo ipse Deus facilè prætulerit.

3. Sacris in historiis manifesta patet hæc veritas: ubi nimirum legimus Cain & Abel Deo omnipotenti obtulisse Sacrificia: ambo bonâ fide litavêre Deo, sed ut inquit S. Paulus Apostolus & Gentium Doctor: *fide plurimam Hostiam Abel quàm Cain obtulit.* Theodoretus legendum transtulit: *pretiosiorem hostiam.* In quo igitur sacrificium Abel excedebat sacrificium Cain? In quo pretiosius unum altero censendum est? Non tantum in eo, ut multorum commune est judicium, quia Cain leviora de frugibus suis, Abel verò de primogenitis gregis sui & adipibus eorum offerebat Domino. Unde artificiosè Poëta quidam, Abel ejusque plenum affectum inducit loquentem, dum hoc Sodatæo metro ludit. Genes. 4. Heb. 11.

Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo.

Cujus voces retrogradè enuntiatæ contrarium Cain sensum produnt: uti

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

4. Non, inquam, tantùm ideo, sed quia Abel non tantùm bonâ fide in Deum Creatorem, sed dicente Apostolo *fide plurimam* in Deum Redemptorem obtulit hostiam: Cain de fructibus terræ obtulit, sed nihil ibi de sanguine, nihil de passione, nihil de morte, quia hos Deo ut creatori sacrificavit; Abel autem offert de primogenitis gregis sui, & Deo, ut Redemptori sacrificat agnum, symbolum illius innocentis Agni, qui olim in ara crucis Deo Patri in totius generis humani redemptionem offerendus est; quare ut inquit Sacer textus: *Respexit Dominus ad Abel & munera ejus. Ad Cain verò, & ad munera ejus non respexit.* Pluris enim sibi complacuit Deus in munere, quod ipsi in titulo Redemptoris, quàm Creatoris titulo oblatum est. Hoc idem Divus Ambrosius expressit, dum de differentia Sacrificii hujus differeret Genes. 4.

Tract. de Hortat. ad Virginit. reret dicens: *Melior itaque secundus quàm prior fructus, quia in isto mundi redemptio annuntiatur, in illo mundi ruina.* D. Ambrosio Rubertus Abbas consensisse videtur his *Lib. 4. in Gen. cap. 2.* verbis: *Primus unigeniti Filii Dei testis Abel voluntarium Deo de primogenitis gregis sui sacrificium obtulit, id fide passionis ejusdem unici & dilecti Filii Dei, quem tali sacrificio præsignari condecuit.* Ex quibus universim facilè deduxeris, quanti Deus ipse æstimaverit titulum & officium Redemptoris; quòd nimirum hunc non tantùm Creatoris titulo & officio prætulerit, sed etiam quòd nec respiciat ad sacrificium, quod illi in memoriam tam excellentis tituli non offertur.

5. Si ab opinione hominum pariter quid metiendum est, Hebræis, Græcis, Persis, Romanis, cunctisque gentibus etiam barbaris Redemptio Captivorum magno semper in honore fuit. Hebræorum plura sacris in Litteris manifesta habemus exempla, uti optimus *Lib. 2. cap. 5.* Esdras confitetur dicens: *Nos, uti scitis, redemimus fratres nostros Judæos, qui venditi fuerant gentibus, secundùm possibilitatem nostram.*

6. Nec Græci in tam laudabili opere ullis secundi: *Lib. 5. cap. 5.* Alexander enim Magnus Macedonum Rex, ut Quinti Curtii est historia, cùm Persepolim obsidendam properaret, jamque haud procul Urbe erant, cùm miserabile agmen inter pauca fortunæ exempla memorandum occurrit, captivi erant Græci ad quatuor ferè millia, quos Persæ vario suppliciorum modo affecerant. Alios pedibus, quosdam manibus auribusque, amputatis, inustisque barbararum literarum notis in longum sui ludibrium reservaverunt, inusitata simulacra non homines videbantur, nec quidquam in illis præter vocem poterat agnosci, plures igitur lachrymas commovêre, quàm profuderunt ipsi. Rex absterſis, quas profuderat, lachrymis, bonum habere animum jubet, visuros urbes conjugesque. *Jumenta*, inquit, *assignavi vobis, quæ vos veherent, & singulis vestrûm mille denariûm dari jussi, cùm redieritis in Græciam, præstabo, ne quis statum suum, si hæc cala-*

calamitas absit, vestro credat esse meliorem. Haud impari laude facundissimus ille Græcorum Orator Demosthenes insigni claruit exemplo: Hic seipsum in captivitatem tradidit, ut mille Athenienses captivos, quondam concives suos, quos Philippus Rex pro Demosthene pollicitus erat, redimeret. Memorandum profectò in utroque cunctæ posteritati eruditionis spectaculum; Philippus mille aliis plus unum æstimavit sapientem Demosthenem; Demosthenes autem ut verè sapiens plùs procuravit salutem & libertatem tot afflictorum suorum Atheniensium Civium, quàm propriam. Demùm Bias Prienæus unus de septem totius Græciæ Sapientibus, uti Author est Sabellicus, Messenias redemit puellas, parentibusque adjectâ dote restituit, ob idque Messeni Prienæo admodum grati, Tripodem illi totum aureum in mari à piscatoribus repertum inscriptumque SAPIENTI, ut viro eâ appellatione digno, publicè miserunt. Eundem verò Bias repudiatum Apollini, quia solus is sapiens esset, mittendum censuit, qui postmodum in templo Delphico longæ superstitionis fuit occasio.

Libanius declam. 15.

Sabellicus Enead. 2. lib. 5.

7. Nec Persarum Gens tam inhumana & barbara, quæ Redemptionis captivorum excellentiam non summè æstimaverit; Darius enim Rex ingentem pecuniarum summam, quæ fuit secundum Zonoras decem millia talentorum, Alexandro Magno pro redemptione captivorum militum suorum obtulit.

Schedel. in hist. mundi fol. 75. Zonoras Annal. tom. 1. pag. 138.

8. Romani quoque, uti ex Titi Livii satis noscitur historia, redemptioni suorum admodum studuerunt: Quare ut M. Junius Senatum Romanum ad misericordem redemptionem illorum captivorum militum, qui post stragem Cannensem jugo Hanibalis premebantur, moveret, hæc inter cætera peroravit. *Majores nostros quoque acceperamus se à Gallis auro redemisse, & Patres nostros asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratiâ Tarentum misisse.* Præterea Olympiade 112., anno qui fuit ante incarnationem nostri Redemptoris 349. Quintus Fabius in Insula Creta Romanorum

Lib. 22. cap. 28.

Livius decad. 4. lib. 7.

norum captivorum agmen quatuor millium redemit, Romamque cum eisdem triumphali intravit pompâ, & Senatui ad summi honoris testimonium obtulit. Similiter anno mundi 3837. ante Christum natum verò 216. teste Saliano alius ejusdem nominis Quintus Fabius idem Gente Romanus, quandam vendidit hæreditatem, cujus pretio ducentos quinquaginta septem redemit Romanos captivos.

ad an. mũdi 3837.

9. Præclara certè pietatis exempla Gentilium licet, Christianis tamen ad virtutis stimulum suspicienda, uti ampliùs hoc nobis Josephus Langius in sua Polianthea suadet, dicens: *Captivorum etiam Redemptio magnum atque præclarum Justitiæ munus est, quod idem Tullius approbavit. Itaque hæc benignitas*, inquit, *Reipub. est utilis, redimi à servitute captivos, locupletari tenuiores. Hanc ego consuetudinem largitioni munerum longè antepono. Hæc est hominum gravium atque magnorum. Proprium igitur Justorum est, alere pauperes, redimere captivos: cùm apud injustos etiam si qui hæc faciunt graves atque magni appellentur.*

lit. M verb. Misericord.

CAPUT III.

De Utilitate Redemptionis Captivorum.

1. SI *Pietas* ex mente Apostoli *ad omnia utilis est*, Redemptionem piissimum opus Christianæ præcipuè Reipublicæ utilissimum esse, quis ambigat? Principes, & Dynastæ, Reges & Imperatores, Summi Pontifices, & Sancti Patres, omnes boni communis & publici studiosissimi impensè semper & maximè procurârunt Redemptionem Captivorum: hanc œcumenica commendant Concilia præcipuè Lugdunense 3. *Can.* 2. Aurelianense 1. *Can.* 5. Cabilonense *Can.* 9. hanc firmant † Decreta: hanc demum suadet lex divina & naturalis; quare officiosissimè S. Ambrosius lib. 2. de officiis: *Quis autem est*, inquit, *tam durus & immitis, & ferreus, cui displiceat, quòd homo redimatur à morte? fœmina ab impuritatibus*

1. ad Tim. cap. 4. v. 8.

† C. Apostolicos c. & Sacror. 14. Sacror. 15. c. sicut. 16. quæst. 2. ff.

ritatibus barbarorum, quæ graviores morte sunt? Adolescentulæ, vel parvuli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur. *&c. de captivis, & postlimi. reversf. l. si pro redempt. 36. &c.*

2. Redemptionem præterea ex imis tenebrosisque speluncis supplicant ardentissima Captivorum suspiria, & profundissimi gemitus & singultus: hanc piis in Patriam ipsa Patria cujuscunque nostra inculcat: hanc urget deformitas squalorque nostrorum civium, cognatorum, amicorum & consanguineorum in vinculis & jugo Infidelium implorantium auxilium, qui in utilitatem Patriæ & Reipublicæ nostræ se tot ac tantis opposuerunt periculis; hanc ab hominibus exigit ipsa humanitas; & si duriora sint corda nostra barbarorum catenis, non movebimur? *Cap. 28.*

3. Aristoteles utilitatem Reipublicæ constituit *in malorum instantium propulsione, & futurorum incommodorum inhibitione.* Ex quibus apparet manifestum, nimirum: bonum esse & utile, malum inutile. Redemptionem igitur utilem esse atque bonam, & secundùm Philosophum, malorum instantium propulsivam, simul & futurorum incommodorum inhibitivam, porrò sapientissimè probat Reverendissimus D. Didacus à Canvero Abbas Pragensis in Emaus, dum ita in suo Orpheo sacro disputat: *Eo est majus bonum, quo majus propellitur malum; cùm autem non sit majus malum quàm captivitas, inde est, non fore majus bonum, quàm conciliata ex eodem libertas.* *Rhetoricorum ad Alexand.* *3. parte. pag. 118.*

4. Quantum sit malum captivitas, ex ejus opposito, scilicet libertate, amplius cognosci potest: hæc enim est, ut inquit Dionysius Halicarnasseus *omnium humanorum bonorum maximum.* Thesim ex antithesi deduxeris, si captivitatem omnium humanorum malorum maximum appellaveris, contraria enim sunt ejusdem oppositionis. *Quod optimum inter homines est, libertas est*, dictum est Diogenis Cinici: hinc contra, quod pessimum inter homines est, captivitas est. Justino II. Imperatori pro symbolo erat: *Libertas res inæstimabilis est.* Deductum ex Senecæ sententia, quod pariter in Regulam Juris transivit: *Lib. 11.* *Epist. 76.* *Reg. Juris 107. §. fin.*

transivit : *inæstimabile bonum est, suum esse.* Inde intolerabile malum est, suum non esse. *Rerum*, ait Natalis Comes, *omnium humanarum nobilissima libertas est.* Aio: rerum omnium humanarum abjectissima captivitas est. Libertas de jure *charior est vita*, & *melior est mors*, inquit Ecclesiastices, *quàm vita amara.* Libertas demum aurea est, captivitas ferrea.

Historiar. lib. 3.

l. fin. c. de Patriæ potestate.

Eccl. 30.

5. Plura ut præteream captivitatis incommoda, ipsa anima pretioso Christi redempta sanguine, crudelioribus blanditiis quàm ipsis barbarorum minis, aut ex desperatione, aut certè ex adulteræ libertatis fallacia in Apostasiæ & Christi abnegationis semper exposita est periculo; imò plurimi, ut se vinculis, & servitutis eximerent jugo, à fide Catholica, Proh dolor! miserrimè in Mahometi defecerunt abominationes, qui ut suam sectam palàm contestarentur Christianæ Reipublicæ infensissimi extitêre proditores, acerrimi hostes, & fortiùs contra Christianum nomen ipsis Turcis pugnaverunt. Fatentur ipsi redempti tales abnegatos Christianos cum Captivis Christianis multò crudeliùs agere quàm ipsi nati Turcæ, quod certè ingens omnium Christianorum est ignominia, grande probrum, sed major infelicium animarum perditio.

Sagredo Memor. Othom. in Vita Orcani. pag. 11.

6. Tot ac tantis malis unica Redemptio obviare mederique potest, unde quantum non tantùm corpori, quàm animæ, non tam in particulari, quàm in communi toti Reipublicæ sit utilis, ex ingentibus Captivitatis incommodis, & Redemptionis metiatur commodis, & ingentem ejus deprehendemus utilitatem. Quod cùm bene perpendisset Antonius Viera Regius Lusitaniæ Ecclesiastes hanc convertitur in orationem: *Excellentissimum illud misericordiæ opus duo maxima præsentis futuræque vitæ bona & mala includit. Maximum præsentis vitæ malum est captivitas; & futuræ maximum malum est damnatio. Porrò à geminis hisce malis Redemptores isti captivos liberant, è terris infidelium eos educendo. Maximum è contrario hujus vitæ bonum est libertas: futuræque vitæ maximum bonum est* sal-

Part. 2. Serm. 7. §. 4.

ſalvatio. Porrò geminum hoc bonum Redemptores iſti captivis ſuis conferunt, Chriſtianorum terris illos reſtituendo. Propter bonum malumque vitæ hujus corporum ſunt Redemptores; propter bonum malumque vitæ futuræ animarum ſunt Redemptores: & propter utramque hominis totius ex anima & corpore compoſiti Redemptores ſunt, qualis fuit Chriſtus.

7. Quare vel inde omnes veri nominis Politici (qui Redemptionem mediis quibus poſſunt procurant & adjuvant) quantum Reipublicæ ſtudeant, quantumque Chriſto Redemptori exhibeant ſervitium, meritumque obtineant, deducere poſſunt. Nam ſi æterna Veritas apud ſuum Evangeliſtam promiſit mercedem illos non perdituros, qui calicem aquæ frigidæ in nomine ejus dederint, quod prœmium illi ſperare poterunt, qui derelictis ab omnibus Chriſti fidelibus in tot tribulationibus & anguſtiis corporis & animæ periculis miſericorditer ſuccurrunt? Profectò ut canit Eccleſia: *Matt. 10. Marci 9.*

In ſuprema diſcuſſione,
Gratius nil Redemptione
Apparebit Judici.
Non ſe tantùm viſitatum,
Sed & dicet liberatum
In ſolutis proximis.

Sequentia in Miſſa S. P. N. Joannis de Matta.

Et uti credimus Evangelio, ità audient amabilem & beatam illam Redemptoris vocem: *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitâſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me*, inſuper & redemiſtis me, omnia opera miſericordiæ in ſola redemptione exhibuiſtis mihi. Nam ut Urbani VIII. Pontificis Maximi ſupracitata eſt ſententia, nimirum pium hoc opus Redemptionis cæteris miſericordiæ operibus antecedere, in quo ferè omnia alia quaſi per compendium exercentur. Sed circa hanc & alias plures Redemptionis utilitates plura in ſequentibus. *Matt. 25. v. 34.*

CAPUT IV.

De Ordine Militari Equitum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

1. ORdinem Militarem Equitum Trinitariorum Sæculis præcessisse nostros Regulares, fides est gravium Scriptorum; de plenaria autem ejusdem Ordinis historia non admodum constat: sunt nonnulli, qui asserunt dicti Ordinis exordium propter antiquitatem nimiam ignorari, alii eidem diversa tempora, diversosque Fundatores assignant. Et equidem certum est, hunc Militarem Ordinem successu temporis in Regularem transivisse, & tandem cum nostro claustrali eundem esse, jamque ab eodem non distingui: uti cum pluribus refert Bonaventura Baro ex Ordine Seraphico Serenissimi Cosmi III. Magni Ducis Hetruriæ Historicus, Vir omni laude major, qui ab Illustrissimo Caramuele in Epistola ad Bernardinum Clansium ità inter cætera commendatur: *Est enim iste alter Bonaventura in Theologicis, alter Baronius in Historicis.* Meritò hæc refero prætermissis plurimis sæpiùs illius in sequentibus memoriam facturus; hic inquam in Prologo ad Annales Ordinis Sanctissimæ Trinitatis hæc notat: *Religionem*, inquit, *quam scribimus canonicam & claustralem Sanctissimæ Trinitatis præcessit olim martia aliqua ac militaris.* Exod. 32. *Tunc castra nunc chorum frequentat, olim ululatus quispiam pugna penes ipsam, nunc verò vox cantantium auditur. Ut in illa tanquam in Sunamitide videri possit complexum planè insolens,* Cant. 7. *chorus castrorum. Primùm animosa illa & pugnax, deindè modestia tenax, utrobique in omnes benefica & liberalis.*

2. Sed hæc authoritas non est mea probatio, non enim nitor discursibus, minus conjecturis, major antiquitatum probatio non est sola historia, bene verò originalia, & authentica instrumenta, quæ semper incorruptam conservant veritatem, & uti loquitur Balde: *Recur-*

Recurritur ad memoriales antiquos tanquam ad stipitem veritatis, quæ in æternum permanet.

In Cap. cum causam deprobat. Alexand de Nevo const. 77. n. 7. & 8.

3. Noster P. Ildephonsus à Sancto Antonio S. N. Ordinis Procurator Generalis, diligentissimus accuratissimusque antiquitatum Inquisitor, qui ex professo indefesso labore ex oblivionis tenebris plures eruit antiquitates, & in unum congessit volumen, typisque mandavit Madriti Anno 1661 sub titulo: *Gloriosos Titulos Apostolicos, y Reales de la Religion de la Santissima Trinidad, &c.* Cui Joannes Baptista Alvarez de Ledesma Notarius Publicus Apostolicus Authoritate Apostolicâ Ordinariâ, Receptor de numero Tribunalis Illustriss. & Reverendiss. Domini Nuntii in Hispaniarum Regnis residentis præstat *testimonium veritatis, quòd omnia instrumenta in eodem volumine contenta suis originalibus bene collationata revisa concordent.* Quod manu propriâ subscripsit, & sigillo Illustriss. & Reverendiss. Fr. Francisci de Aravio olim Episcopi Segoviensis, præsentibus tribus prædicti Tribunalis testibus munivit. Quod fideliter & legaliter actum fuisse, duo alii Publici Apostolicâ Authoritate Notarii confirmant: quod totum cum propriis Notariorum Chyrographis in nostro Conventu Viennensi Austriæ videre est.

4. Verùm his omnibus nihil obstantibus in judicium citatus plurimas sustinuit contradictiones, gravissimos pertulit impugnantium impetus, sed in omnibus victor, ita ut post nubes serenitas, post tot horrescentes tempestates clarior lux veritati redderetur; nam ut inquit D. Hilarius: *Non aliter veritas intelligi potest, quàm si falsa esse, quæ veritati objecta sunt, detegantur.* P. Ildephonsus in Judicio Adversariis suis ad interrogata respondit, justitiâ & veritate de invidia triumphavit, quod nec ab ullis malevolorum convelli poterit vel labefactari. Igitur ex defectu continuatæ historiæ ex eodem celebri volumine aliqua authentica instrumenta pro hoc capite extrahere propositum est, & eâdem fide, & Authoritate, quæ *in judicio & extra* illis semper adhibita fuit Lectori propono.

lib. 5. de Trinitat.

5. Et

5. Et primò quidem: Martyrologium Albigense ad annum Christi 403. die 21. Augusti inter cæteras marginales additiones literis vetustissimis de origine Ordinis Equitum Trinitariorum sequentem habet textum: *Hoc eodem anno (scilicet* CCCCIII.) *Molanus & Jofredus Anglici instituerunt Ordinem Equitum in honorem Sanctæ Trinitatis ad redimendum Captivos. Permansit Ordo ille usque ad annum DCCLXXV. Qui cùm essent pauci in Græcia martyrio coronati sunt xxi. Augusti.* Ex quo liquet jam tempore Innocentii I. Summi Pontificis, qui fuit septimus post S. Sylvestrum, imperantibus Arcadio & Honorio, institutos fuisse Equites Trinitarios Redemptores, ex quo jam sunt plus quàm mille trecenti anni.

6. Nec obest, qui objiciant; Angliam illo tempore fuisse idololatriæ deditam, quamobrem incredibile esse Molanum, & Jofredum ex illa Gente prodjisse Institutores Ordinis Equitum Sanctæ Trinitatis. Non inquam obest, dubium enim hoc non vertitur de substantia, sed de circumstantia rei. Rursus: totum mundum adhuc tempore Apostolorum Evangelium personuit, quare Gentium Doctor S. Paulus ex Psal. 18. cum Romanis disputat. *Sed dico nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et ut de Apostolis testatur S. Chrysostomus dicens. *Ipso etiam sole pernitius omnem perlustravêre terram spargentes ubique lumina veritatis.* Et licet universum Angliæ Regnum usque ad tempora S. Gregorii Magni Summi Pontificis ab idololatria non destiterit, nihilominus tamen quàm plurima ejusdem Regni individua jam anno 203. Victore sedente, ut Lesleus cum Bozio tradunt, relicto falsorum Deorum cultu in verum Deum Christum crediderunt, quos deinde Pelagii erroribus aliorumque hæreticorum opinionibus infectos S. Augustinus cum Sociis à Sancto Gregorio Magno missus anno scilicet 596. ad verum Catholicumque sensum reduxit: quare ante adventum Augustini in Britanias floruerunt ibidem plurimi eximiæ Sanctitatis viri, prout ex his sunt Columbanus,

Rom. 10.

Homil. 15. in Matt.

Lesl. lib. 3. Bozius de signis Ecclesf. lib. 7. cap. 1.

nus, Gallusque Columbani Discipulus, à quibus in Germania Monasterium S. Galli, in Italia Bobiense, in Gallia Loxoviense extructum est. Et ut clariori utar exemplo: adhuc ante Molanum, & Josfredum S. Martinus Episcopus Turonensis in Panoniæ Regno idololatriæ dedito, & parentibus Gentilibus natus, attamen Ordinem instituit, & Monasterium condidit Mediolani unum, & postea aliud Pictavii, ubi cum suis Monachis commoratus est, qui tantâ vitæ Sanctitate pollebant, ut plerique se beatos existimarent, si quemdam ex illis Episcopum habere possent. Ipsemet S. Martinus paulò pòst in Episcopum Turonensem electus, celebre illud Monasterium Marmontanum extruendum curavit dimidio ab urbe milliari. Quid, inquam, oberit? Molanum, & Josfredum, licet non in Anglia, sed ut pii, & exules forsan Christiani in Græcia, Regno Persis, Arabibusque infesto, cæterisque Christiani Nominis hostibus proximiori instituisse Ordinem Militarem Equitum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. *Godefri. in Arcbontb. circa fin.*

7. An usque ad annum 775. in quo pauci illi, qui erant in Græcia, Martyrio coronati sunt, certam vivendi regulam professi fuerint? vel an Congregatio tantùm fuerit voluntaria? ambiguum manet: videtur tamen, quòd in quibusdam partibus postmodum vel Regulam S. Augustini, vel S. Benedicti observaverint. Unde anno Christi 950. ex ordinatione Agapiti Summi Pontificis Elisernus Ordinis Sancti Benedicti Abbas Cassinensis Trinitariis Equitibus quasdam Constitutiones commendavit observandas. Archivum Archi-Episcopale Moguntinum originalem nobis tradidit extractum.

Anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi octingentesimo decimo septimo, Imperii verò Gloriosissimi Principis Ludovici Quarti, sexto Idus Julii cum in Domo Aquisgrani Palacii, quæ Lateranis dicitur, Abbates cum pluribus unà suis resedissent Monachis, quæ subsequuntur Capitula communi Consilio, ac pari voluntate inviolabiliter à Regularibus observari decreverunt. Quæ Abbas Elisernus Cassinensis Priori, &

 Mili-

Militibus Sanctæ Trinitatis dedit, & ordinavit Anno Domini nongentesimo quinquagesimo.

Primò, ut Abbates mox ut ad Monasteria sua remeaverint Regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes Domino opitulante efficaciter cum Monachis suis implere studeant, &c. Et sunt consecutivè numero octuaginta constitutiones, quas Patres Ordinis S. Benedicti (ut suprà memoratum est) pro suorum directione decreverunt, quæ postmodum Trinitariis Equitibus pariter observandæ traditæ fuerunt; nam post has constitutiones sequentia continet Originale.

Et ego Elisernus Abbas Cassinensis, videns quòd Prior, & Milites SanctæTrinitatis non habent Abbatem, sed tantummodo Priorem, in loco Abbatis dispono, quòd intelligatur Prior, & in loco Monachorum seu Fratrum intelligantur Milites, & addo dicto Priori, & Militibus de mandato Domini me Agapeti Papæ, ut in supra, in unoquoque anno Prior, & Milites, sicut usque adhuc captivos redimant. Dat. in Monasterio Cassinensi anno Domini nongentesimo quinquagesimo sexto Kalendas Februarii.

8. Eugenius III. è Sancti Bernardi Claravallensis Discipulo Pontifex Maximus, qui secundum Baronium, & Bullarium Romanum gubernavit Ecclesiam ab anno 1145. usque ad annum 1153. Hic Equitibus Trinitariis Redemptoribus aliud ordinavit Statutum, quod post modum Decretalibus Gregorianis *titulo 20. de testibus, & attestationibus* incorporatum fuit sequenti forma.

EUGENIUS TERTIUS.

Ponitur Caput V., & immediatè Titulus & Caput sequens.

Idem Priori & Fratribus Sanctæ Trinitatis.

CAPUT SEXTUM.

INsuper statuimus, ut liceat vobis in causis Ecclesiæ vestræ ferre testimonium. Dummodo unus ex vobis, vel duo ad agendum, & respondendum instituantur, quorum testimonium in

in causis, in quibus actores vel responsales sunt instituti, non debent admitti.

9. Est equidem verum, Statutum hoc non clarè, & expressè Trinitarios Equites Redemptores decernere, cùm plura Monasteria sub titulo Sanctissimæ Trinitatis sint extructa, Fratresque Sanctæ Trinitatis appellari possint: unde Emanuel Consalez Tellez opinatur præsens Statutum directum fuisse ad Priorem, & Fratres Sanctæ Trinitatis in Lunden, ubi secundùm Matthæum Parisium, & Gabrielem Pennotum Cœnobium erat Canonicorum Regularium S. Augustini titulo Sanctissimæ Trinitatis insignitum. Sed hæc opinio minimè subsistit, cùm clarissimè constet ex quodam Privilegio Alphonsi VIII. Regis Castellæ Statutum hoc Equites Trinitarios Redemptores concernere: nam æra MCCX. id est anno Christi 1172. die 25. Septembris cùm inter Conventum Toletanum, & Abulensem eorundem Equitum in Curia Regia supra villam, & hæreditatem de Villobris diutissimè jam agebantur lites, Alphonsus Rex justæ parti favens Equitibus Trinitariis ad S. Genesium, Toletanis nimirum, causam adjudicavit, jubetque simul, quòd possint in causis Ecclesiæ suæ testimonium ferre, & testificare *prout illis Eugenius Papa III. statuit.* Pro majori claritate decisivam Regis sententiam refero, quæ in suo Originali in Archivo Ecclesiæ Toletanæ asservatur, & extractus ejus authenticus pariter in Archivo Ecclesiæ Abulensis reperitur, & est ut sequitur.

In Comm. Dict. Cap. tom. 2. operum.

Ad annum 1250. & 1256.

Lib. 2. Canon. Reg. cap. 37.

IN CHRISTI NOMINE.

Quare de antiquo tempore orta est contentio inter Milites Religiosos Sanctæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, & Judices Curiæ meæ, super juramenta, & testimonia illorum Militum, Priorum, & Fratrum, qui sunt in meis Regnis, & villis Toleti, & Abulæ in causis ipsorum testificare, nisi Procurateres suarum domorum.

Ego Aldephonsus Rex Castellæ, & Toleti unà cum uxore

mea Alionor Regina, jubeo, ut Prior, & Fratres Sanctæ Trinitatis potuerint, & producere possent de Fratribus suis in testimonium, in causis Ecclesiæ suæ, sicut statuit Papa, quòd liceat, dummodo unus vel duo instituantur ad agendum, & respondendum, & tunc eorum testimonium in causis quibus constituti sunt debent admitti.

Et quare est etiam contentio inter Fratres, & Milites Sancti Genesii de Toleto, & Fratres, & Milites de Abula supra villam, & hæreditatem de Villobris posita inter Tagum, & Tagunam fluvios, & quia ipsi Fratres, & Milites Sancti Genesii, Sanctæ Trinitatis Captivorum, sunt in possessione de ipsa villa per multa Privilegia Tritavi mei Aldephonsi, Gloriosissimi Imperatoris, confirmo eandem villam, & hæreditates de Villobris dictis Fratribus, & Priori Sancti Genesii de Toleto, & habeant eam in perpetuum valiturum. Si quis verò hanc chartam infringere vel diminuere præsumpserit, iram Dei omnipotentis plenariè incurrat, & cum Juda Domini Proditore suppliciis infernalibus subjaceat, & insuper Regiæ parti centum aureos incauto persolvat. Factâ Chartâ apud Abulam VI. *Kalendas Octobris Ærâ* M. CC. X.

Et ego dictus Aldephonsus Regnans in Castella, & Toleto hanc chartam, quam fieri jussi, manu propriâ roboro, & confirmo.

Cerebrunus Toletanæ Sedis Archi-Episcopus Hispaniarum Primas confir. Jocelinus Seguntinus Episcopus confir. Guillermus Segoviensis Episcopus confir. Petrus Burgensis Episcopus confir. Comes Urgel confir. Comes Petrus confir. Comes Vilaci confir. Gundisalvus Roderici confir. Petrus Roderici confir. Petrus Garsia confir. Tel Petriz confir. Gundisalvus Muranone Alferiz Regis confir. Comes Pontius Major Domus confir. Petrus Regis Notarius Raymundo existente Cancellario scripsit.

In Apparatu An. Ord. SSS. Trinitat. §. 2. n. 20.

10. Nec urget P. Baronis dubium, qui dicit: *Illud Prior, & Fratres apud Eugenium, & Decretales olet aliquid Augustinianum; sic enim appellant illi superiores, & subditos respectivè.* Nam retorquetur argumentum: illud Prior, & Fratres apud Eugenium, & Decretales olet aliquid Trinitarium, sic enim appellant illi superiores, & subditos

ditos respectivè, ut in authentico immediatè præcedenti vidimus. Sit Cicero pro domo sua.

11. Sed adversetur, & replicet Emanuel, quòd antiqui Codices Concilii Lateranensis, ut notat Augustin. Barbosa, dicant Sanctæ Trinitatis Lundon, imò ex Codice Barcinonensi Lund. & idem alter Taraconensis. Et Lunden in Concilio parte 8. Cap. 18. Bene, quòd Codices discordent, Amanuensibus danda est venia, cæterum hoc totum probat, & Concilium ex authentico præcedenti, & irrefragabili instrumento convincit, quòd Statutum Eugenii III. non concernat Canonicos Regulares S. Augustini, sed Equites Trinitarios Lundenses, ut discretus discernere potest; & cujuscunque justi judicio subjicio. *Tellez. loco cit. ad 1. Collect. lib. 2. cap. 1.*

12. Et quod peremptorium est, est nimirum, quòd tempore Alphonsi VIII. Regis Castellæ Statutum Eugenii III. particulare fuerit unius Religionis, quod postea per Decretales Gregorianas transivit in Canonem Claustrales, & Militares Ordines concernentem; atqui sic est, quòd Alphonsus Rex illud particulare Statutum non citaverit Canonicis Regularibus S. Augustini, sed Equitibus Trinitariis Toletanis, & Abulensibus: ergo particulariter, & specificè tantùm intelliguntur in Statuto illo (licet expresè non exprimantur) Trinitarii Equites Redemptores. Verum est, quòd Lundenses Canonici Regulares, sicut & omnes cæteri Ordines nunc per Decretales Gregorianas in Statuto illo intelligantur; sed ante dictas Decretales solis Trinitariis Equitibus palma manet, qui quæstioni, & Statuto causam, & locum dedêre tempore illo quo Statutum hoc neque per extensionem, neque per participationem, pro ut modo, alii Sacris Ordinibus communicabatur.

13. Inquirentibus verò ad quem Conventum Equitum Trinitariorum Statutum hoc sit directum, non multùm disputo, vel omnibus, vel si adhuc placet Emanueli, Lundensi libentissimè admitto, quòd Alphonsus Rex postmodum per suos Secretarios, utpote optimè

Juribus gnaris, pro Toletanis & Abulensibus ejusdem Ordinis Equitibus per suam Sententiam citavit. Et licet Lunden (ubi pariter anno 1279. nostro Regulari Ordini fundatum est Monasterium, diuque floruit, tandem ab hæreticis extinctum) hæc alias Londa, sive Londia, quæ est Metropolis in Scania, insignis Regio inter Provincias Daniæ, inter Sinum Godanum, & Mare Balticum sita, quam alii Scandinaviam vocant, alii Scondaniam, id est amænam Daniam denominant: attamen cùm particularia Ordinis propter communicationem in universo Ordine facilè citòque promulgentur, non mirum, quòd notitia Statuti illius ex Dania ad Hispanias usque pervenerit, præcipuè dum lites agebantur, quæ omnia perscrutantur, Scripturas revolvunt, Canones examinant allegantque.

Baro ad an. 1279.

Godefri. in Archontologia pag. 419.

14. Et uti Statutum Eugenii III. Pontif. Max. per Decretales Gregorianas cunctis Ordinibus in universalem transivit Canonem, ità & Equites Trinitarii Toletani ad Ecclesiam præmentionatam S. Genesii, Ordinem Militarem jam commutârunt in Regularem: nam cùm S. Patriarcha noster Joannes de Matta Româ in Hispaniarum Regna concessisset, ad Ordinem, & Institutum ibidem sub sua Regula propagandum, quandoquidem eo tempore Hispania ex majori sui parte parebat Mauris, quorum Carceres pleni fuerant Christianorum, in quem finem cùm Burgos anno 1205. à confirmatione Ordinis anno Septimo, cum aliquot Sociis, quos ex primitivo Monasterio Cervi Frigidi à S. Felice Priore illustribus ornatos virtutibus, sublimibus instructos perfectionibus, & in scientia Sanctorum optimè institutos evocavit, ad Regiam Alphonsi VIII. Regis Curiam appulisset. S. Joannes Pater Noster, utpote *Gratia* Regi gratissimus, quod prætendit gratiosissimè obtinuit: etenim in ipsa Aula Regium planè Patribus Alphonsus ædificavit Cœnobium. Paulò pòst cùm Toletani Cives Patrum exemplo, & Sanctitatis allecti essent odore, optârunt sibi pariter Burgenses Trinitarios, instantissimè procurante D. Didaco Garsia

Baro. ad an. 1205. & ad an. 1230.

ſia Metropolitanæ Eccleſiæ Toletanæ Archidiacono. Et cùm Rex S. N. Patriarcham Joannem à ſe nunquam vellet dimitti, Alumnum ſuum Eliam Spiritûs ſui hæredem ſibi ſubſtituit, ut quod Toletani prætenderent, ipſeq́ue intenderet, exequeretur: P. Elias cum duobus Sociis, utpote vir magnus atque inſignis, de quo ſibi aſſerendo uſque hodie pugnant Provinciæ Luſitaniæ, ut videre eſt (teſte Barone) apud Gregorium Cardoſâ, qui *loco citato.* excogitatis & congeſtis undique argumentis nititur eum ſibi vendicare ob cognomentum de Valle, quod apud ipſos eſt frequens. Sanè autem illius judicio debuit fuiſſe Sanctus iſte Elias, aliàs perperàm eum adſcripſit operi ſuo, nam Hagiologium non permittit niſi Sanctos. Hic inquam miſſus cùm primùm Toletum intravit, *Hagialog. Luſitania fol. 389.* Equites Trinitarios ad S. Geneſium lucratus eſt, venit nimirum, vidit, & vicit. Virtus enim inſtar Magnetis corda, etſi ferrea, attrahit: ità S. Elias Equites attraxit, ſimul, & detraxit gladios, qui econtra S. P. N. Joannis Mattenſis extorſerunt Regulam: victi victoreſq́ue, utrique cùm Equites Trinitarii cum ſua S. Geneſii Eccleſia ſe ſuis tradiderunt Trinitariis Regularibus; de quo Alphonſus Rex S. P. N. Joanni ſummopere gratulatus, & actum Toleti Burgis libens volenſq́ue firmum ratumq́ue voluit: ad majus hujus rei certæ teſtimonium authenticum ejus recito inſtrumentum ex archivo Archi-Epiſcopali Burgenſi fideliter extractum.

Tam præſentibus quàm futuris notum ſit, ac manifeſtum: quòd ego Aldephonſus Rex Caſtellæ, & Toleti unà cum Uxore mea Elionor Regina, & cum Filiis meis Fernando & Henrico concedo, & confirmo tibi Eliæ Ordinis Sanctæ Trinitatis Captivorum Eccleſiam Sancti Geneſii Militum ejuſdem Ordinis Civitatis Toleti, ad ædificandum, & conſtruendum Monaſterium ipſius Ordinis, in omnibus Regionibus Hiſpaniæ ad preces D. Garſiæ Archidiaconi Toletani; qui & Religioſi ipſius Ordinis in omnibus Regionibus Hiſpaniæ ſuis propriis, & Eleemoſinis, captivos Chriſtianos à barbaris carceribus abſolvant. Si quis verò hanc chartam infringere, vel diminuere præſumpſerit, NB.

rit, iram Dei Omnipotentis plenariè incurrat, & cum Juda Domini Proditore suppliciis infernalibus subjaceat, & insuper Regiæ parti mille aureos incauto persolvat, & damnum super hoc illatum restituat duplicatum. Factâ Chartâ apud Burgos Æra M. CC. XLV. *primâ die Mensis Februarii. Ego & sæpe dictus Alphonsus Regnans in Castella, & Toleto hanc Chartam, quam fieri jussimus, manu propriâ roboro, & confirmo.*

Martinus Toletanæ Sedis Archi-Episcopus Hispaniarum Primas confirmat. Rodericus Seguntinus Episcopus confirm. Adericus Palentinus Episcopus confirm. Didacus Oxomensis Episcopus confirm. Gundisalvus Segoviensis Episcopus Confirm. Garsia Burgensis Episcopus confirm. Julianus Conchensis Episcopus confirm. Dricius Valentinus Episcopus Confirm. Albanus Nunii confirm. Rodericus Diaz confirm. Gometius Petri confirm. Nunius Petri confirm. Ferdinandus Albarez confirm. Guillielmus Consalvi confirm. Garsia Comerinus Regis in Castella confirm. Consalvi Roderici confirm. Merinus Major Domus Curiæ Regis confirm. Alphonsi Regis Castellæ ✠ Signum. Dominicus Domini Regis Notarius Abbas Valesoleti. Didacus Garsia existente Cancellario scribi fecit.

Neque quid esse potest clarius, quà n. dum dicit: *Ecclesiam S. Genesii ejusdem Ordinis.*

15. Plures Conventus, & Commendaturas Equitum Trinitariorum secutos fuisse Toletanos plurium est conjectura, unde ut Bonaventura Baro est Author: *Fuisse veteranum Ordinem, inquit aliquem Sanctissimæ Trinitatis, & summâ similitudine veri Militarem, quod sanè nobilitat hunc nostrum Ordinem à Patriarchis institutum, cùm Ordo ille Equitum in nostrum transiverit, quâdam metamorphosi simili ei, quâ tormenta bellica cum vetustate fatiscunt fornacibus admota iteratò funduntur, & videntur alia cùm sint ipsa, non nisi præstantiâ & novitate diversa.* Et in calce §. hujus n. 11. prosequitur ita: *Quidquid illud, censendum est incertis, quòd Priscus ille Equestris transivit in nostrum hunc Monasticum & Regularem; nam ei Titulus superest, scilicet SSS. Trinitatis additâ Redemptione Captivorum; manent etiam privilegia, nam usque hodie utitur illo assignandi testes ex suis in pro-*

In Apparatu Annal. part. 6. §. 2. n. 8.

propria causa, & in Regia Curia Cancellarii Vallisoleti nuper ad praxim reductum est illud, & Sententia in favorem Ordinis lata, à Præside Alphonso Peres de Lara, ut refert Petrus Lopez de Altuna. Et denique hæc veritas inde invalescit, quoniam ex quo illuxit Orbi Sacer Ordo Redemptionis à Patriarchis nostris erectus, desiit omnis ferè memoria prisci illius Equestris, sicut Flumina, cùm se in Occeanum exonerant, non jam Flumina sunt, sed Mare. Hactenus Bonaventura Baro.

16. Præter Conventus Græciæ, & alios jam nominatos, plures illis fuisse, plura nos instruunt authentica Instrumenta; & quidem de Conventu, & Comenda S. Emiliani de Durolo fundato in Archi-Episcopatu Burgensi testatur, sequens legatum:

Sub Christi Nomine, & ejus Gratia: Ego Michaël quamvis indignus, sed tamen Dei Gratiâ Turiasonensis Episcopus, atque Fratres mei Gundisalvus Garsia, & Sancius nullo cogente imperio, sed spontaneâ voluntate offerimus Deo, & Sancto Patrono Emiliano de Durolo, & vobis Domino Joanni Priori, & ejusdem Cœnobio Ordinis Militum Sanctæ Trinitatis pro Luminaria ejusdem Ecclesia, & vestitu suorum Militum hæreditates quas habuimus de Parentibus nostris Sanctio de Secovia, & Terasia Ferdinandis: si quis ex Genere nostro, vel alieno infringere hanc Chartam voluerit, careat luminibus frontis, & cum Juda Traditore in Infernoinferiori sit damnatus, & pœnâ temporali pectet ad regulam M. solidos incauto, factâ Chartâ Testamenti III. *Kalendas Octobris Æra* M. C. LXXII., *&c.* Est annus Christi 1134. qui ante nostri Ordinis Confirmationem 74. est.

17. Aliud est Instrumentum, aliud indicans ejusdem Equestris Ordinis Monasterium, prout sequitur:

Ego Raymundus Berengarius Dei Gratiâ Comes Provinciæ, &c.: Concedo Deo, & Monasterio Sanctæ Trinitatis::: ut nunquam detis Leddam, vel Pascarium, vel Insidiam, vel aliquid Usuaticum in Terra mea, vel in aqua, &c. Facta fuit hæc Charta anno Incarnationis 1178. *in Castello Lunelli* 5. *Kalend. Septemb.*

18. Item anno Christi 1182. ab Alphonso Rege Aragonum in Civitate Balagarii iisdem fundatur Conventus;

ventus; Fundationalium ut vocant, Litterarum textus est sequens:

Noverint Universi, quòd Ego Aldephonsus Rex Aragonum, Comes Barcinonæ, & Marchio Provinciæ & Dertusæ, instituo Monasterium Militum Sanctæ Trinitatis in Civitate Balagarii, nomine Sanctæ Crucis ad Redimendum Captivos, &c. Datis Balagarii Idibus Octobris, Æra M. CC. XX.

19. Aliam Donationem anno Domini 1197. iisdem Trinitariis Equitibus fecit Petrus II. Rex Aragonum, uti sequitur:

Sub Divinis Imperiis Ego Rex Petrus Aragonensium, Comes Barcinonensis, Tortosæ Marchio, quia convenit Regali Majestati diligere Viros honestos. Ideo Concedo vobis Militibus Redemptoribus Castellum de Masoleo, & Caretas Villam cum suis Terminis & Pertinentiis, &c. Factâ Chartâ apud Oscam IV. *Kalendas . . . . Æra* M. CC. XXXV.

20. Item Concordia inter Equites Trinitarios, & Templarios de Pascuis facta anno Domini 1226., alium eorundem Equitum indicat Conventum, & est tenoris sequentis:

In Dei Nomine fit cunctis notum, quòd nos Milites Sancti Templi Hierosolymitani, & Milites Sanctæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, qui subscripsimus, facimus per hanc Chartam Confraternitatis Concordiam: scilicet, Quòd Greges Militum Sanctæ Trinitatis pascere possint liberè in omnibus Hæreditatibus, & Pascuis Ordinis Templi: & similiter Greges Ordinis Templi in Hæreditatibus, & Pascuis Ordinis Sanctæ Trinitatis, &c. Factâ Chartâ apud Corbariam VII. *die Mensis Aprilis, anno Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi* M. CC. XXVI. Sequuntur Subscriptiones utriusque Partis.

21. Et ut plura instrumenta, ne prolixior sim, missa faciam, breviùs plura & antiquiora ejusdem Equestris Ordinis monasteria cum N. P. Ildephonso à Sancto Antonio enumero; nimirum: Monasterium in Quintanar de Rioja, quod floruisse reperitur anno Christi 897. Regnante in Castella D. Alphonso III. Rege. Aliud in Navarra circa annum 913. quod fundavit Rex

In Prologo ad Titul. Glor.

Rex Garcia. Item aliud in Castella circa annum 926. quod dotavit Rex Alphonsus IV. Item aliud circa annum 931. quod dotavit Rex Ramirus.

22. Pariter anno Domini 1110. Rex Ramirus Sanchez de Navarra in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ in memoriam peregrinationis suæ in Hierusalem monasterium in Sancto Petro vulgo de Caradegna ædificari curavit, illudque nostræ Dominæ de la Piscina intitulavit, in eodem Equites Trinitarios, & ejus Successores, custodes magnæ partis Crucis constituit, mandavitque ne ullus in eo monasterio admittatur, qui non sit de sanguine Regio. Authenticum instrumentum litterarum fundationis est apud N. P. Ildephonsum pag. 950. Iterum invenio aliud monasterium in Calabria in finibus Italiæ vocatum Cavense circa annum Domini 1119. Aliud floruit in Anglia anno Domini 1170. circa aulam Archi-Episcopalem Cantuariensem.

23. Hodie adhuc extant in Hispania sumptuosissima templa hujus sacri Militarisque Ordinis, ut Templum de San Pedro de Poblacion circa Formistam in Episcopatu Palentiæ: in porta principali ejusdem Templi literis vetustissimis legitur sequens:

Sub Æra M. CC. XXIV. *Mense Septembris* IV. *Kalendas Octobris Aldericus Palentia Episcopus Consecravit hanc Ecclesiam instante Commendatore Domino Stephano Redemptore. Joannes scripsit.*

24. In Oppido de Atiença inter Civitatem Osma & Siguença alia reperitur vetustissima Ecclesia, & constat ex instrumentis ejusdem loci, & ex archivo Cathedralis Ecclesiæ de Siguença, fuisse quondam Equitum Redemptorum SSS. Trinitatis. Item in Oppido de la Petraça de la Sierra in Episcopatu Segoviensi est Parocchia SSS. Trinitatis & S. Michaelis Archangeli; & ideò communiter S. Michaelis ad Equites vocatur, quia olim ibi fuerat Equitum Trinitariorum Ordo.

25. Ubedæ anno Domini 1250. ut ad eundem annum refert Martinus Ximena, Sanctus Rex Ferdinandus,

In Annal. Episcopatus Gien.

nensis pag. 212. nandus, ut eorundem Equitum heroicas prœmiaret actiones, quas contra Mauros Christianæ Reipublicæ præstiterunt, fundavit celebrem Commendaturam, cujus Magistrum ejusdem Civitatis Directorem cum Suffragio instituit. Tantus fuit olim in dicta Civitate erga eosdem Equites amor & veneratio civium, ut rara domus inveniatur, quam non Cruce ejusdem Ordinis insigni decoraverint, quæ adhuc ut plurimùm supra portas lapidi insculptæ apparent. Hos Equites Rex inibi regiâ liberalitate ditavit, nam eisdem Villam del Barco vulgò nuncupatam circa fluvium Guadalquivir ad pontem Reginæ cum plurimis vineis, olivetis, & pomariis donavit. Cæterùm cùm solummodo existentiam hujus sacri Militarisque Ordinis probare propositum sit, omnia ejusdem Templa, Conventus, & Commendaturas enumerare non est de tempore, unde manum à tabula, præcipuè cùm sequenti in dissertatione plurium istorum mentiò occurret.

CAPUT V.

De Sanctis & Viris Illustribus quibusdam, qui in hoc Militari Ordine Trinitariorum Equitum floruère.

1. PLures Sanctos, insignesque Viros tam inclytum Equestrem Ordinem Sanctissimæ Trinitatis illustrâsse, quis ambigat? Sed heu! plura obliviosâ antiquitate, & injuriâ temporum sunt sepulta, quàm quæ à nostro eruditiori sæculo semieruta comparent. Sancta vetustas maluit præstare magna, & conscire sibi, quàm scribere, contenta uno Deo teste, qui & instar omnium & novit rependere, non modò præstantiam operum, sed & neglectum Scriptorum: Sanctæ Trinitatis Ordo (ut refert Baro) modestiæ tenax maluit facere magna, quàm jactare. Insuper armorum strepitu dum silent leges, obserantur litteræ, & perturbato temporum fluxo ipsa veritas naufragatur, & mergitur, quæ vix modi-

In Prologo ad Annal. Ord.

modicè in authenticis instrumentis, vetustioribus scripturis, archivorum testimoniis, tanquam in disjectis jactatisque tabulis emergit; hinc perdita plura dolemus, quàm prodita colligimus.

2. Prodeant tamen invicti Heröes Molanus & Jofredus Gemini Militaris Ordinis Equitum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Fundatores. O si liceret eorum gloriosos revelare cineres, inspicere virtutes, admirari triumphos; sed historia, quæ secundum Tullium testis est temporum & nuntia veritatis, tacendo protestatur, & sancta nocentioribus subducit oculis, venerari non manifestari jubet. Molanum & Jofredum sive Beatos sive Sanctos intitulavero Sacræ Sedi Apostolicæ ejusdemque dispositioni nihil præjudico, neque Bullam Urbani VIII. Summi Pontificis feriâ 5. die 13. Martii anno Domini 1625. expeditam offendo: Hæc enim §. 4. Expresè declarat, *quòd per supradicta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, aut per Patrum, Virorum Sanctorumque Scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiâ Sedis Apostolicæ vel Ordinariorum coluntur.* Satisfacit istis ex parte Memoria horum Fundatorum, quæ uti capite præcedenti num. 5. retuli, in vetustissimo Albigensium Martyrologio celebratur ad annum 403. die 21. Augusti. Hîc sistere gradum cogimur.

3. Si quid tamen probabiliter divinando longiùs prospicimus, ut remotè apparent, licebit hos tenuiter videre, quòd penes cujuscunque fidem, sensum & judicium relinquo, nihil enim nisi sinceram solidamque veritatem intendo: Hi Gloriosi Sancti Molanus & Jofredus, cùm inter Idololatras Britaniæ Gentes optimi degerent Christiani, & Christianum à Gentilibus, Catholicum verò nomen à Pelagii, Juliani, & Cœlestii hæreticis pœnâ capitali criminaretur: Hi forsan sicut & cæteri consilium Salvatoris secuti, *cùm persequuntur vos in civitate una, fugite in aliam.* Nam ut Venerabilis Beda in vita Gregorii Magni refert, tempore quo Augustinus Gentes *Matt.* 10.

 illas

illas ad verum Dei cultum reduceret, nullus ibi præter supradictos hæreticos inveniebatur Christianus. Vel cùm essent generis nobilitate inclyti, mitiusque, ut decet, in eos animadverteretur, in exilium pulsi, & in Græciam appulsi fuêre; & sicuti Christiano totus mundus exilium, & virtuti omnis terra patria est, illi hîc in exilio gliscentem virtutis fulgorem occultare non valuêre. Igitur cùm illis sæculis modicùm persecutio, tyrannisque Romanorum Imperatorum detumuisset, econtra vero Barbari cum Saracenis, Arianis & cæteris Hæreticis, qui SSS. Trinitatis Mysterium summè conviciantur, asperrimis adversùs Christianos fervebant bellis, itaque novâ Marte Christianis cudebantur vincula, duriori persecutione & tyrannide, quo infernus suos arctiori stringebat vinculo. Quapropter SS. Molanus & Josfredus Spiritûs Sancti instinctu Militarem Equestremque Ordinem in honorem Sanctissimæ Trinitatis pro Redemptione Captivorum instituerunt, cujus Equites honorem Sanctissimæ Trinitatis nomenque Christianum ex Instituto propugnarent, & fideles ne caperentur defenderent armis, captos verò constituto redimerent lytro. Vestis Equitum candida fuit, in signum pacis, pacificique Redemptoris, ad eandem formam, quâ hodie Canonici Regulares candidi Ordinis S. Norberti utuntur; additâ Cruce purpureâ in pectore in signum amoris, paratique sanguinis, quem uti veri Redemptoris imitatores pro Redemptione Christianorum Captivorum prompti sunt profundere. Figuram hujus Vestis in Templis eorundem Equitum vetustissimæ exhibent picturæ.

4. Hunc Militarem Ordinem à Summis Pontificibus pariter approbatum fuisse, firmum est ex Bulla Gregorii XI. Pontif. Max. qui anno Domini 1376. Archi-Episcopatui Hispalensi, nec non & Episcopatibus Cordubensi nimirum & Giennensi, Badajozensi, Placentino, Gadicano & Coriensi, pariter & Hospitalibus, pariterque locis sacris, insuper & Religionibus, exceptis Mendicantibus & Carthusianorum, comprehensis tamen Ordi-

Ordinibus Militaribus generalem indixit reformationem (uti testis est in suis Annalibus D. Martinus Ximena) P. 357. ad cujus executionem designatus fuit cum Charactere Visitatoris Apostolici D. Nicolaus de Viedma Episcopus Giennensis, Vir literis ac virtutibus illustrissimus: Bulla, quam ad eundem effectum Avinone in Gallia 6. idus Junii anno sexto Pontificatûs Gregorii XI. qui erat annus Christi 1376. obtinuit, numerat inter cæteros approbatos & confirmatos Militares Ordines, Militarem Ordinem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum; clausula Bullæ, quæ in suo originali in Archivo Ecclesiæ Giennensis conservatur, est hæc: *Nec non Militarium Sancti Jacobi, & Calatrava, & Montesia, de Avis, & Sanctæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.* Ex quo patet, Militarem Trinitariorum Equitum Ordinem, ut cæteros Ordines à Sancta Sede Apostolica cum suo Canonico Redemptionis Captivorum Instituto approbatum, confirmatum, & in Sacrosanctæ Ecclesiæ gremium receptum fuisse.

5. Huic Sacræ Trinitariæ Militiæ, ut plurima Patrum est traditio, S. Guilielmus Dux Aquitaniæ & Comes Pictaviensis supplex adscribi voluit: solemnis ejusdem memoria in Martyrologio Romano nonas Februarii per universam Ecclesiam annuntiatur. Fundamenta verò, quibus nititur nostra traditio, sunt plurium & gravium Authorum consensus & suffragia, Juridicæ & Apostolicæ informationes, & demum Picturæ & Sculpturæ vetustissimæ.

6. Authores, qui S. Guilielmum Ducem Aquitaniæ Ordini Trinitariorum adscribunt, sunt Hieronymus Romanus Ordinis Eremitarum S. Augustini *lib.* 6. *de Republica Christiana cap.* 12. Emanuel Roderiquez Ordinis S. Francisci *tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 3. *art.* 12. Didacus à Canvero Ordinis S. Benedicti *in Orpheo sacro* 3. *part. pag.* 287. Sanvitores *in Sole occidentis preludio* 1. *cap.* 19. *num.* 36. qui asserunt S. Guilielmum Ducem Aquitaniæ esse Fundatorem Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, quod ita

ita intelligendum est, nimirum Fundatorem esse conventûs cujusdam qui Cavensis dicitur, situs in Calabria in finibus Italiæ, quem pro Trinitariis Equitibus ædificavit: uti benè observavit P. Ildephonsus à Sancto Antonio *in Prologo ad Titulos Gloriosos*: & ante illum D. Antonius Lupianus Zappata *in Chronica Generali centuria 1. tractatu* 3. & recenter ex professo Emeritissimus N. Pater Raphaël à Sancto Joanne, qui in suo opere *de Redemptione cap.* 8. fundamenta & rationes congerit, expendit, & ponderat, quæ pro Equestri Ordine Sanctissimæ Trinitatis militant. Hujus aliorumque Authorum & ego vestigiis insisto, tritamque viam sequor.

7. Lucas Wadingus insignis Ordinis Seraphici Chronologus asserit S. Guilielmum Ducem Aquitaniæ Fundatorem Ordinis Eremitarum S. Augustini, sed audiendus est Joannes Marquez cum aliis classicis Authoribus, qui eundem Sanctum pro Restauratore & Reformatore dicti Ordinis cognoscunt: sunt nonnulli, qui eundem Cistertiensem faciant Monachum; quibus assentiendum foret, si eum cum omnium Authorum consensu sancti Bernardi Claravallensis discipulum veriùs dicerent, nam à S. Bernardo à perduelli & scandalosa vita ad pœnitentiam, ad meliorem vivendi frugem fuit revocatus. Diversi diversa sentiant; hæc discordia Authorum non discordat à constanti traditione, quâ S. Guilielmus Dux Aquitaniæ Eques Trinitarius asseritur, nam ex eo quòd fuerit Eques Trinitarius, non tollit, quòd antea vel posteà S. Bernardi Discipulus, Monachus, sive Restaurator Ordinis Eremitarum S. Augustini fuerit; & patet experientiâ clarissimo exemplo, nam sicut non tollit S. Raymundo de Pennafort esse Ordinis S. Dominici, eo quòd fuerit Fundator Ordinis B. V. Mariæ de Mercede; ità nec tollet S. Guilielmo Duci Aquitaniæ esse Equitis Trinitarii, eo quòd fuerit Monachus Fundator sive Reformator aliorum sacrorum Ordinum, nec econtra.

8. Verùm enim verò quod evidentius probat, est sequens notatu digna relatio, quam D. Antonius Lupianus

nus Zappata in Generali Chronica refert, nimirum cùm anno Domini 1228. D. Lupus de Haro Dominus de Vizcaya, & S. Ferdinandi III. Regis Castellæ & Legionis Romæ fuisset Legatus, institit apud summum Pontificem Gregorium IX. pro Corpore cujusdam Sancti, quod pro sua devotione transferret ad Hispanias; Pontifex devoti Legati precibus inclinatus, eidem S. Guilielmi Ducis Aquitaniæ Corpus donavit, quod cùm Legatus tulisset ad Hispanias, in Oppido Bureba circa Birviescam sumptuosam ædificavit Ecclesiam, in quam ejusdem Sancti Corpus condigno honore conderetur. Cùm hanc Ecclesiam, quæ hodie adhuc supra collem dicti loci eminet Archidiaconus de Birviesca D. Joannes de Solorzano dignitate sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Burgensis in criminalibus Judex ordinarius visitâsset, in sua & sui Notarii D. Joannis de Artieta præsentia sacrum Sepulchrum mandâsset aperiri, & sacras Exuvias venerabundis conspexisset oculis, per quas secundùm traditionem dicti loci, Deus multa operatus est miracula, sequens scribi fecit Decretum, ut ex actibus visitationis anni 1627. diei 20. Octobris celebratis constat.

Quia continuata traditio totius Archidiaconatûs & loci de Aquilar de Bureba, quòd esset in dicto Eremitorio & sepulchro Corpus sancti Guilielmi Ducis Aquitaniæ, & quando elevârunt lapidem illius Sepulchri senserunt suavissimum & fragrantissimum odorem, multò superiorem illo, quem experimur hîc in mundo: & quia inventa fuit in dicto sepulchro una Arca magna, & in illa depictus sanctus Guilielmus ex una parte, genuflexus ad pedes Pontificis, ex altera armatus, & in pectore Cruce ornatus instar illius, quam gestant Religiosi sanctissimæ Trinitatis, & quia inventa fuit intra dictam Arcam Bulla Pontificia obsigillata Sigillo plumbeo, quæ dicit esse Corpus Sancti Guilielmi. Mandamus sub pœna excommunicationis, quòd intra unum annum Parochi & Beneficiati prædicti loci de Aquilar transferant prædictum sanctum Corpus ad aliam decentiorem Arcam propriis expensis Ecclesiæ Parochialis, &c. Multoties se vidisse testatur D. Lupianus Zappata prædictam Urnam,

 cum

cum iisdem imaginibus, quas refert visitationis actus.

9. Præterea, quod traditionem nostram validiùs firmat, est quòd cùm anno 1663. Authoritate Apostolicâ in variis Regnis Christianitatis de immemoriali cultu sanctorum nostrorum Patriarcharum Joannis & Felicis factæ fuissent informationes, inter cætera (quæ ut alterius Instituti omitto) etiam repertum est, quòd in principali Ecclesiæ porta nostri Conventûs Cordubensis, quæ jam anno Domini 1236. à S. Ferdinando III. Rege Castellæ erigi cœpit, duo marmorei insculpti sint Angeli, qui manibus Ordinis gerunt Scapularium, & ad dextram spectatur S. P. N. Joannes de Matta, ad lævam verò in Habitu Equitis Trinitarii S. Guilielmus Dux Aquitaniæ, cum utriusque nominis in eodem lapide exaratione: tam litteræ, quàm imagines indicant ejusdem Sculptoris manum & opus, quapropter cùm Andreas Gutierrez ejusdem Civitatis in marmore expertissimus Sculptor ad examen veritatis vocaretur, edixit hæc, quæ ex actibus informationis extracta, & ex Hispano in Latinum idioma translato, profero, & sunt sequentia: *Quòd in ordine ad cognoscendum Effigies S. Joannis de Matta & S. Guilielmi, quæ sunt supra portam principalem Ecclesiæ, quas vidit in illa parte omnibus diebus vitæ suæ, & cognoscit, quòd non solùm dictæ imagines, sed & inscriptiones, quas habent, sunt antiquitatis plùs quàm quadringentorum annorum; quia, ut Magister artis sculptoriæ, habet domi diversorum temporum exemplaria, delineationes, & ut vulgò vocant patronas, & in libris & scriptis temporis immemorialis, & per illa cognoscit tempus & modum sculpendi, qui viguit in quolibet sæculo, & hinc infert, quòd dictæ imagines, & inscriptiones S. Parentis nostri Joannis de Matta, & S. Guilielmi plus habent quàm quadringentos annos.*

10. Cordubâ Toletum proficiamur, inibi aliud simile videre libeat testimonium, nam cùm eodem anno 1663. die 16. Februarii Josephus de Ortega Primus & principalis Architectus & operum sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Curator, ætatis suæ 65. annorum, juridicè & legaliter exami-

examinatus fuisset, hæc ut sequuntur respondit: *Quòd nunc quasi à viginti septem annis ipse astiterit ad transferendum Altare in Ecclesiam novam, quæ hodie est in dicto Conventu, & quòd fuerint in dicto antiquo Altari imagines SS. Patriarcharum Joannis de Matta, & Felicis de Valois simul cum inscriptione suorum nominum, cum diademate, & splendore, & antiqua multorum annorum: & ablato Altari antiquo manifestata sunt alia duæ imagines Cæruleo colore depictæ, & dictæ parieti affixa S. Joannis de Matta, & S. Guilielmi, quæ apparent tantæ antiquitatis ac ipsa fabrica, quæ est centum & viginti annorum antiquitatis, ut asserunt Religiosi illius domûs.*

11. Hæc & plura alia, quæ uti S. Joannem Mattensem Fundatorem Regularis Ordinis Trinitariorum dicunt, & probant, ità & indicant S. Guilielmum non quidem Fundatorem Militaris Trinitariorum Equitum Ordinis (ut quidam non rectè opinati sunt) bene verò ejusdem Ordinis Equitem: si enim res ita se non haberet, quæ comparatio, quæ societas S. Joannis, & S. Guilielmi, cùm S. Guilielmus quadriennio obierit priusquam S. Joannes nasceretur? Si res ità se non haberet, certè non video, quo fundamento in diversis nostri Ordinis Conventibus tam Calceatorum quàm Discalceatorum antiquissimæ reperiantur imagines, quibus pro Sancto Ordinis recognoscitur, veneratur, & colitur. Prætereà, quod prorsus mihi videtur irrefragabile, est nimirum quòd Joannes XXII. Pontifex Maximus nostris Provinciis in Anglia, Scotia, & Hibernia speciale indulserit Breviarium cum propriis Officiis Sanctorum Ordinis nostri, & inter eosdem Sanctos die 10. Februarii collocatur S. Guilielmus Dux Aquitaniæ. Dictum Breviarium Ordinis impressum fuit anno 1442. Ex quo Romæ anno 1649. ad instantiam PP. Procuratorum, P. Alphonsi, Dominici, & P. Joannis à sancto Bonaventura extraxerunt commemorationes SS. PP. NN. Joannis & Felicis, & in Typographia Cameræ Apostolicæ impresserunt sub titulo: *Commemorationes ex Anglicana Provincia Breviario Ordinis Sanctiss. Trinitatis Redemptionis captivorum.* Et hæc

ſunt, quæ me aſſerere cogunt S. Guilielmum fuiſſe Equitem Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum: nec opinor ad veritatem ſolidiora deſiderari poſſe fundamenta, neque ad credibilitatem plura requiri teſtimonia; firmiſſimum ſit ergo aſſertum noſtrum.

12. S. Thomam Glorioſiſſimum illum Cantuarienſem Archi-Præſulem, Primatem Britaniæ, nec non & inviĉtiſſimum Chriſti Martyrem, pariter & Equitem fuiſſe Trinitarium, nec ſum primus qui dixero, nec primus qui credideris; non enim deficiunt ſolida fundamenta ad idem aſſerendum: inſpiciatur N. P. Ildephonſus à Sancto Antonio, examinetur N. P. Raphaël à Sancto Joanne, ponderentur plures N. S. Ordinis graves Authores; ſi verò hi ejuſdem mecum partialitatis Authores non ſatisfacerent, extraneos adduco teſtes, Alphonſum de Villegas, in quem forſan incidit Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. D. Joſephus Illyes actualiter nunc Epiſcopus Tranſylvanus hæc in ſuo ſpeculo vitæ Chriſtianæ ſcripſit: *Sub titulo Sanctiſſimæ Trinitatis unum ſanctiſſimæ vitæ hominum monaſterium eſſendo in ejus Palacio, quorum Prelatus per Archi-Epiſcopum Cantuarienſem eligebatur. Et quamvis alii Archi-Epiſcopi non multam ſervârunt amicitiam cum illis: nihilominus Thomas aliter fecit, ſiquidem non tantùm veſtem eorum portavit ſub veſtibus Epiſcopalibus, ſicut dixi, ſed cum illis converſatus eſt, ſtuduit, officium recitavit, & alia ſancta exercitia peregit, &c.* Hæc ille, eſtque communis traditio.

In Prologo ad Tit. Glor. de Redempt. cap. 4. n. 55. §. 2. n. 7.

Specul. vita Chriſt. pag. 282. In Vita S. Thomæ Cantuarienſis.

13. S. Petrum Nolaſcum Fundatorem Ordinis B. V. Mariæ etiam Redemptionis captivorum, & primos ſocios ejus fuiſſe Equites Trinitarios capite 8. ut opportuniori loco manifeſtabitur, in quo de Origine, fundatione, & quarto voto ejuſdem Ordinis clariori brevitate agendum erit.

14. Alius Illuſtris Heros Militaris Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis nunc eſt producendus; & quidem Sereniſſimus Philippus S. Ferdinandi III. Regis Caſtellæ Filius: hic in Conventu Equitum Trinitariorum B. V. Mariæ de Villaſirga

ſirga Diœceſis Palentiæ Commendator erat: hujus Conventûs Eccleſia munito & multis turribus majeſtuoſo circumdata eſt Caſtello; quin eidem D. Sancius Rex Legionis & Caſtellæ, qui regnavit ab anno 1284. uſque ad annum 1295. quàm plurima conceſſit privilegia, quæ communiter in vetuſtiſſima lingua Caſtellana incipiunt ſequenti tenore: *Para fazeros bien, e merced, a vos los Commiendadores, e Freyles, e Redentores de la Iglesia de Señora ſanta Maria de Villaſierga, &c.* Id eſt: *Ad bene faciendum & premiandum vos Commendatores & Fratres, & Redemptores Ecclesia Beata Maria de Villaſirga, &c.* In dictæ Eccleſiæ choro ad latus Epiſtolæ magnificum cum Epitaphio hodie viſitur ſepulchrum, circa quod plures depicti Equites Trinitarii, & rubræ Ordinis Cruces, ac in medio eſt Statua Sereniſſimi Philippi Commendatoris hujus Eccleſiæ, evaginatum gladium manibus gerens, & juxtà inſcriptio ſequens:

Æra M. CCC. XII. IV. *Kalendas menſis Decembris Vigilia ſancti Saturnini, obiit D. Philippus Infans Vir Nobiliſſimus, Filius D. Ferdinandi. Pater cujus ſepultus eſt Hiſpalis, cujus anima requieſcat in pace. Filius verò jacet hic in Eccleſia B. Mariæ de Villa ſirga: cui omnes potenti Deo & ſanctis ejus commendamus. Fuit Commendator hujus Eccleſiæ, & ejuſdem Benefactor.*

15. Nec prætereundus eſt ſilentio D. Bernardus de Aguilera Commendator Templi Jeroſolymitani Eques Trinitarius, qui cum ſuo expedito Trinitariorum agmine anno 1244. S. Regem Ferdinandum in expugnatione Civitatis de Anduxar ſtrenuè adjuvit: hic quàm glorioſè cum ſuis Chriſtianum nomen contra Mauros propugnaverit, teſtantur multa Regia prœmia & privilegia; & ut plura præteream unum, quod D. Martinus Ximena in Annalibus Epiſcopatûs Giennenſis ad ſupradictum annum narrat, audire libeat: *Fuerant*, inquit, *Religioſi & Equites Ordinis Militaris Sanctiſſimæ Trinitatis unà cum D. Bernardo de Aguilera Commendatore Templi Jeroſolymitani, & pariter Equite Militaris Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis in acquiſitione* Pag. 150.

 quiſitione

quisitione Civitatis de Anduxar, quando Rex Baëza hanc urbem tradidit S. Regi Ferdinando. Et S Rex donavit huic Ordini hujus Civitatis territorium: & in repartitione, quam de suis terris fecit, inter illius urbis acquisitores & incolas, dedit illi totum districtum de la Sierra-Morena, qui vocatur Pagus pini: quamquàm hodie, quia vendiderunt magnam partem illius ob necessitates temporum, parùm illis ex ista repartitione remansit. Fundavit etiam S Rex Ferdinandus Conventum, quem in ista urbe habent. Hactenus Ximena.

CAPUT VI.

Ejusdem Materiæ prosecutio.

1. EQuites Trinitarii, ut Regulam obtinuerunt, gladios suos in Ordine Regularium SSS. Trinitatis quidem appenderunt, uti suprà de Toletanis commemoratum est, quos tamen repetitis vicibus ipsi Regulares cum Militaribus Trinitarii contra Crucis hostes stringere, & conjunctim unà pro focis & aris acerrimè pugnare non dubitârunt, & testati sunt nodum gordium, vincula & compedes quæ aliis mediis solvi nequibant, cum Alexandro ferro dirimere posse, prout res postulavit, & necessitas exegit: commemorandam omnibus sæculis Historiam in memoriam refero; dum nimirum Miramomolinus Rex Maurus Catholicæ Hispaniæ sæpiùs minitatus est exterminium, specialiter verò anno Christi 1212. quo tempore majorem Hispaniarum partem occupans, & reliquam, plures uno, quam manutenebant Reges, decrevit invadere, ut ita unus universæ imperaret Monarchiæ; Quingentis igitur armatorum millibus intravit Rex Barbarus Australem illam Hispaniæ plagam, quam Andalusiam sive Bœticam vocant, quæ jam eo tempore ex integro Maurorum parebat juribus: quatefecit hoc infausto sidere Reges, & Populos Catholicos, ambiguos metu, in quos Barbarico instanti fastu prius despumare suam vellet bilem, quisque sibi

Rodericus Archi-Ep. Tolet. de reb. Hisp. cap. 8. Mariana lib. 11. Baro. Annal. ad an. 1212. & alii.

bi cavit, ut timuit; tandem deprehenderunt Castellæ, & Alphonso VIII. ejus naturali Regi totam hanc imminere furiam: Hic autem impar tam potenti, & superbo hosti, plus fide quàm fastu resistendum Catholicè sentiebat; quàm primùm hinc non solummodo finitimos Petrum II. Aragoniæ, & Sancium Navarræ confœderatos Reges solicitavit in auxilium; sed ob commune periculum etiam Ecclesiasticos Præsules ad arma capessenda induxit: Venit igitur cum suis Copiis Rodericus Archi-Episcopus Toletanus, & Primas Hispaniæ simul cum Berengario jam tunc ex Regulari Ordine SSS. Trinitatis ad Barcinonensem Episcopatum assumpto, pluresque Episcopi non contemnendà manu; Equites Trinitarii, & Templarii cum cæteris Equestribus Ordinibus se pariter Castris animosè miscuêre.

2. Intellexit hæc Innocentius III. Universalis Christianorum Pater, & Christi in terris Vicarius, ad Deum Exercituum recurrit, jejunia, publicasque supplicationes indixit, & pugnantibus benedictionem, casuris peccatorum impertivit indulgentiam. Joannes Mattensis eo tempore Cappellanus Pontificis eodem intellecto periculo, ex suis plures Religiosos Cœnobii Burgensis destinavit, ut Regi Alphonso Fundatori suo in illa expeditione servirent, prædicarent pugnaturis, confessos absolverent, curarent infirmos, & captivos redimerent; ex his fuêre nominatim P. Bernardus dicti Cœnobii Minister, P. Stephanus Menalaus, P. Robertus, P. Rodericus de Penalva, & P. Guilielmus Romeus; hi Regi sua offerentes obsequia eundem abundanti perfuderunt consolatione, etenim de quorum accessu optima quæque sibi ominatus est, vel maximè ob sanctitatem Fundatoris, à quo transmissi fuêre; cumque revocâsset in memoriam quòd Crux, quam dicti Religiosi præferebant, è Cœlo demissa fuerit, præcepit omnibus, qui in sequenti pugna debebant manus cum hoste conferere, ut similem Crucem in veste præferant.

3. Ventum est ad prœlium; exercitus nostrorum licet

licet sat moderatus, qui vix septuaginta millia pugnatorum integraret, hostilis vero horrendum stridens ipso numero quingentorum millium terrefaciebat: cùm armis animisque valentes manus uterque conseruissent, anceps primò Victoria, æquitati tandem favens, in partes Christianorum mox inclinavit lauros, & quasi ipsum Cœlum suis colluderet Cruce signatis Crux Trinitaria vario colore Purpureo nimirum & cœlesti omnium admiratione in aëre rutilavit, quæ Maurorum percelluit oculos, & potestates tenebrarum nigros illos Crucis Christi inimicos in fugam egit, postquam ducenta millia hostium cæciderant. Christianorum verò non nisi viginti quinque desiderati. Sic nimirum ipsum Cœlum testatum esse voluit, se Cruce Trinitaria armatum, ut pugnantibus Christianis auxilium ferret, adversarios percelleret, & suos Cruce signatos Victoriarum lauris illustraret. Rex Alphonsus gratiis Deo pro Victoria persolutis, pari munificentiâ (quoniam non modicam partem suæ felicitatis intelligebat deberi PP. Trinitariis, cum quorum insigniis pugnatum est) de hostium Spoliis conventui Burgensi novos addidit proventus. Et ut in æterna memoria dies hæc conservaretur annuum festum sub Titulo Triumphus S. Crucis per Universam Hispaniam die 16. Julii solemniter celebratur.

Spondanus Annal. ad dictum an. n. 4. Didacus Saavedra in Chron. Gotica 2. part. pag. 339.

4. Nec inferiora secutus Serenissimus Princeps Sancius Jacobi I. Regis Aragonum filius in Conventu Illerdensi Trinitarius Professus, postmodum verò Archi-Episcopus Toletanus, & Primas Regni Hispaniæ: hic cujus Religionis sit Filius vitâ, & sanguine satis manifestavit; etenim non tantùm sumptibus, sed & industriâ & præsentiâ fidem Catholicam contra Infideles propugnavit; unde apud urbem Mentissa (vulgo Jaën) à Mauris hastâ transfossus est, & ut scribit Magister Cabecas, postea capite truncatus, atque etiam sinistrâ qua annulum gestavit, utrumque autem Ecclesia Toletana redemit appenso in bilance auro ad pondus membrorum; quæ deinde reliquo Corpori conjuncta, sepulta sunt in Regio

gio Sacello S. Crucis majoris Basilicæ Toletanæ. Sunt quidam qui nostrum Sancium Martyrem dicunt, eo quòd in odium fidei occisus sit, quidam quasi Martyrem; alii tradunt, quòd inscriptus sit in Missalis Mozarabi Calendario.

5. Præterea quàm fortiter, quàm gloriosè PP. Trinitarii propriâ vitâ & sanguine prodigi Christianam defenderint atque propugnaverint Rempublicam, multis ex Historiographis constat, & quidem quòd cùm N. Roberto Guagino, & Altuna ad annum Christi 1237. Bonaventura Baro perquàm patheticè refert, enarro: Enimverò furiâ illâ Fredericus II. usque adeò contra jus & fas insanivit, ut post tot beneficia à Sede Apostolica S. Petri accepta, post Sponsiones & Sacramenta Chartis & ceris commissa, nihilo ille minus, arma quæ debuit in Saracenos, voluerit in Christianos convertere, atque ipsum Patrimonium S. Petri. Gregorius Pontifex non potuit sibi deesse quin missis Legatis voluit intimatum populis, quàm esset Fredericus exauthoratus, & diris devotus. Quod quum ille in Oriente rescivisset, protinus in Italiam properavit, ut posset parta tueri. Ad quod præstandum accersivit ex Africa Mauros, quorum operâ exercuit incredibilem crudelitatem in Christianos. *Lib. 2. Chron. c. 7. Pag. 156.*

6. Quum prope Venetias appulisset, demolitus est Sacras Ædes, Ecclesias ac Monasteria expilavit, addendo hominum etiam insignium cædes. Tum autem desperato urbis ingressu vertit se Mediolanum, & in Marchiam Tarvisinam, deinde Hetruriam ingressus, minatus est Romæ obsidionem. Quod quum credidisset Gregorius Pontifex, cæpit rerum Sacrarum satagere, & conscriptum militem objicere impio invasori. Fuit autem exercitus ipso dignus, magna sui Ecclesiasticus & potissimum Regularis. In illis præ aliis numerati fuerunt Patres Trinitarii Redemptionis: nam Gregorius Pontifex scripsit Nicolao Gallo, sexto Ordinis Ministro Generali, ut transmitteret ei saltem octoginta Religiosos ex suis, qui deberent addi iis, quos Romæ ejusdem Ordi-

nis inveniret. Factum; convenerunt enim ex Provinciis Galliæ, Hispaniæ, Hyberniæ, Angliæ, Scotiæ, & Belgii ad eum numerum plurimi, prompti sanguinem fundere, animas expirare, ad servandam sartotectam Authoritatem, & Jura Apostolica Sedis Romanæ.

7. Fredericus autem nil territus, tanto apparatu castra urbi admovit, sed exceptus est eo nimbo Cruce signatorum, qui perfidum terruit, & attonitum suspendit admiratione: neque tamen compescuit, præcipit enim suis jam rabie temulentus, ut ipsos etiam cruce signatos aggrederentur: qui quidem egregio marte perfuncti, obstiterunt aliquandiu invadentibus; non impunè tamen; nam plures eorum ibi animas posuerunt, alii adhuc vivi in ordinem redacti, carceres impleverunt. Ex his fuerunt sexaginta Trinitarii, in quos impius ille Imperator, incredibili crudelitate grassatus, ad contumeliam crucis, quam præferebant, jussit eos in formam illius dividi, à vertice ad calcem rectà, & denuo per pectus transversim. Aliis Capita ipsa simili methodo, & impacto ferro divisit, nempe in crucis forma decussata.

8. Quæ quum fierent, impius ille improperat cæsis infirmitatem crucis, & inutilem gestationem: Miseri, ajens, jam vos videtis captivos, qui tantopere captorum libertatem procurâstis. Hoc tamen à me habetis solatii, quòd mortem in cruce excipitis, qui jactatis eam ad vos è cœlo delatam. Jam jam sanguine vestro solum hoc tingam, quando tam inepti fuistis, ut illam deferretis defendendi. Hæc & alia blasphemabat furibundus ille, qui tamen dictis plura, hoc est, pejora fecit; nam ex Patribus quosdam jussit uri candenti ferro, in crucis ritum se secante; alios jussit injici in fascibus fœni ardentis: ista supracitatus Baronius. Horum Militum & Martyrum nomina, vel Notariorum neglectu, vel temporis vetustate obliterata exciderunt; præter unius Jacobi Leonensis, quod adhuc in memoria vivit: Hic en Dux & Præses eorum fuerat.

9. Si

9. Si vetera sunt ista, non desunt nova & hodierna quidem, quæ eò sunt evidentiora, quò nostris temporibus magis sunt præsentia atque spectabilia: hodie in Africa nostræ sacræ Discalceatæ Familiæ existit Monasterium Zeutæ nimirum inexpugnabili Præsidio, quod jam plus novem annis continuò à Mauris hostiliter obsidetur, omnes nostri Religiosi dicti Monasterii agunt ibidem milites, & contra Mauros pro Christianitate dimicant, ita quidem ut P. Minister Capitanei, P. Vicarius Vexilliferi officio & authoritate polleat, stipendiumque obtineat, omnes cæteri Religiosi militaria à Rege merentur & accipiunt stipendia; & hoc multis annis jam ante ejusdem Præsidii obsidionem.

10. Et hæc sunt Heroica illa pectora, quæ inter cætera & Militarem & Regularem Sanctissimæ Triados Redemptricem illustrârunt Religionem: *Quid videbis in Sulamite hac*, quæ idem est ac *Pacifica* & *perfecta*, *nisi Choros Castrorum?* Illa illa bella est, & bellatrix, bella in choro, bellatrix in castris: bella Regularis, bellatrix Militaris: bella Monastica, bellatrix Equestris ad similitudinem Triariorum Romanorum, qui apud Titum Livium primum vexillum duxisse feruntur *Veterani*, nimirum *milites spectatæ virtutis.* De quibus eodem libro & capite paulò infrà hæc idem commemorat: *Si apud Principes quoque haud satis prosperè pugnatum à prima acie ad Triarios sensim referebantur, inde rem ad Triarios rediisse, quum laboratur, proverbio increbuit.*

Cant. 7.

Lib. 8. cap. 8.

CAPUT VII.

De Cœlesti Redemptricis Religionis SSS. Trinitatis Revelatione.

1. PRæoccupatum velim ne quis obstupescendo capitis hujus frontem impingat, dum Regularem Sanctissimæ Trinitatis Redemptricem Religionem cœlitùs propono revelatam fundatamque: *Non doctas fabulas*

2. Petri cap. 1. v. 16.

bulas sum secutus, cùm hæc sit omnium Authorum tot sæculorum consensus, unde Macedo: *Ea vestri Ordinis prærogativa est, ut ab ipsomet Deo sit institutus, solus quippè ille, qui primam Redemptionem mundi excogitavit; hanc, quæ illius quodammodo appendix est, potuit ac debuit invenire.* Nec contrarium sentire justo licet, hujus enim enuntiationis jam olim erat Innocentius III. Pontif. Max. qui anno Nativitatis nostri Redemptoris 1198. in approbatione Ordinis hæc Apostolico declaravit oraculo: *Hic est Ordo approbatus, non à Sanctis fabricatus, sed à solo Summo Deo.* Cui omnes successivè Romani Pontifices variis in Bullis consensêre.

In Vita S. P. N. Joannis cap. 13.

2. Profectò cœlestis illa planè Religio, quæ habitum ab Angelis, Regulam à Spiritu Sancto, Institutum à Christo universali Redemptore, Nomen & Titulum ab ipsa Summa Sanctissimaque Trinitate sortita est: hujus egregium agit Encomiasten Bonaventura Baro, cujus hæc sunt verba: *Ausim*, inquit, *asserere, titulum hujus Ordinis esse cæteris superiorem, non iis tantùm, qui extant, & audiuntur, sed quotquot existere possunt, & audiri, imò quotquot cogitari possunt, quotquot intelligi, aut in sinciput hominis aspirare. Est enim iste Ordo Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. Isto ego tunc dicam inveniri posse potiorem, quum alius mihi assignaverit aliquid majus, quidquam melius Sanctissimâ Divinâ Trinitate. Sub qua si subsumas, & moliaris descensum, statim incides in Redemptorem.* Et paulò infrà *Benedictus, Basilius, Franciscus magna nomina, sed Servorum, Nomini Redemptoris omnis servitus cedit, omne genu obliquatur.* Hæc ille ex Ordine S. Francisci: his etiam ex Ordine S. Benedicti recenter calculum suum adjicit Reverendissimus Didacus à Canvero Pragensis Abbas, qui paucis his complexus est multa dicens: *Ordo Sanctissimæ Trinitatis inter majores maximus.*

In Apparat. An. part. 3. §. 6.

In Orpheo Sacro 3. parte, pag. 287.

3. Et hæc extraneorum est sententia? Divinæ Tri-Unitati sit gloria: tantam Matrem amplius honorare decebit utique filios, quare cùm cœlestem ejus institutionem investigare propositum sit, inter Redemptorem

&

& Redemptricem quandam priùs ob oculos constituamus Paronomasiam, *conceptum enim sermonem tenere quis poterit*: nam ut videtur, hæc Redemptrix SSS. Trinitatis Religio ab ipso Christo secunda SSS. Trinitatis Persona Redemptore nostro unicè in sponsam fuit electa; huic namque Redemptionis officium & exercitium commisit, ut cum vero Redemptore vera æstimaretur Redemptrix: Hanc tot favoribus tot gratiis decoravit, hanc tot visionibus tot revelationibus de cœlo prosecutus est, ut eandem Redemptricem Sponsam, quasi in eodem secum honoris atque dignitatis gradu constituerit, iisdem quasi privilegiis secum gaudere voluerit; nec mirum, conjugium enim inter pares legitimum est, dicente Poëtâ:

Si qua voles aptè nubere, nube pari. Ovid. Epist. 6.

Unde si Redemptricem hanc Religionem in suis sanctis Institutoribus Joanne & Felice ad pondus Christi Redemptoris, *Qui semetipsum exinanivit*, in comparationis bilance appendimus, maximam quandam comperimus similitudinem, quam si expendimus, eandem in gratiis ab ipso Christo referimus acceptam. Ad Philip. 2. v. 7.

4. Et ut ab ovo incipiamus: Christi Redemptoris adventum multæ Veteris Testamenti præcesserunt figuræ. Redemptricem SSS. Trinitatis Religionem Mattensis Familiæ gentilitium præfiguravit insigne; erat enim concatenati hominis effigies additâ Epigraphe: *O Domine libera me à vinculis istis.* Hæc in Joanne adimpleta est Figura, qui vaticinium à majoribus suis non tam accepit quàm reddidit.

5. Christi Redemptoris adventum Prophetarum prædicârunt oracula: Redemptrix SSS. Trinitatis Religio similiter suas præmisit Prophetias, & specialiter Beatæ Joannis Kalæ Anachoretæ, qui floruit tempore Cœlestini III. Pontificis Max. Verba Prophetiæ sunt sequentia, quorum profunditatem ad eventum rerum quasi in bilance trutinare ad rem juvabit.

Extolletur quoque Signum Crucis in Montibus, & Signum Pacis Ex libro de

novis Ordinibus militantis Ecclesiæ impresso Neapoli anno 1665. pag. mihi 191.

Pacis alligatum in eo: congregabuntur sub hoc Signo Servi Domini, & in Candore Vitæ innocentis ambulabunt. Cantabunt Laudes Domino coram populis: annuntiabunt semper Pacem, & erit semper Pax in labiis eorum, Operibus, & Orationibus miserationes Dei implorabunt, Devotionem augebunt populorum, & Reges, & Principes psallent inter eos. Eleëmosyna in manibus eorum, & Manus Domini non recedet ab eis, & à Populis, & à Gentibus honorabitur nomen eorum.

Pietas impellet corda Regum, & Misericordia pectora Justorum: flebunt super miseros dolentes in Captivitate, & lugentes in manibus Inimicorum, qui iniquis, & impiis servientes saturantur afflictione, & in lachrymis manducant Panem: nocte, & die laborantium, & in nervo pedes eorum: inter abominationes versantur, & non est qui ostendat eis Vias Domini: patiuntur angustias mortis, & non est qui adjuvet eos, exclamant die ac nocte: si flagellat Dominus occidat semel; & in impatientia dicunt: Quare data est Lux, & Vita eis, qui in amaritudine animæ sunt, qui expectant mortem in refrigerium, & non venit.

Miserebitur Dominus miseriæ, & fletus plorantium in Captivitate, & lachrymæ eorum inflammabunt miserationes æternas. Inducet tunc Dominus pietatem in corde Regis, & prudentiam in corde Justorum. Eligentur Servi Dei, ut accedant, & redimant illos, qui laborant in servitute: Dilectio in proximos reddet pravas in directas, & asperas in vias planas: Fluctus Maris non timebunt, & à facie impiorum non formidabunt: Contumelias veluti honores existimabunt, in laboribus, & angustiis exultabunt, ut educant Oves Gregis Domini à medio Luporum. Qui sedebant in tenebris vincti catenis & compedibus, liberati gratias agent Altissimo, & servient ei, qui in potenti dextera sua, & in multitudine Misericordiæ suæ salvos fecit eos à manibus Inimicorum, & à lacu miseriæ eripuit eos. Charitate, & Pietate Servorum Domini replebitur terra, quæ laudabit Opera, quæ Altissimus operatur in eis, &c. Hactenus B. Joannes Kala Anachoreta; & quæ Propheticia hæc prænuntiavit, continuò videmus præsentia.

6. Chri-

6. Christi Redemptoris adventum in Limbo Captivorum Patrum suspirabant singultus & gemitus: ô quot Redemptricem Sanctissimæ Trinitatis Religionem suspirârunt, & suspirant myriades Christianorum! qui jugo infidelium inter corporis, & animæ pericula premuntur, ac anguſtiantur.

7. Progrediamur: Nativitatem Christi, Nomenque Salvatoris Gabriel Angelus Mariæ Virgini evangelizavit: Nativitatem SS. PP. NN. Joannis & Felicis ipsa Angelorum Regina Mater Redemptoris annuntiavit, ut in plurimis Historiographis, qui eorumdem Vitas scripserunt, videre est.

8. Christus, ut utar Verbis Magni Gregorii, *Non in parentum domo, sed in via nascitur, ut profectò ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Verbis aptentur verba: Eleonora Illustrissima nostri S. Felicis Mater, ut scribit Macedo, *Non ibi ubi oportebat fœtum emisit, sed in via Ambiani præter opinionem edidit:* Et paulò infrà: *Cæterùm in itinere ac penè inexpectatus debuit nasci Puer Felix postea vocandus, similis felicitati, quæ non votis quærentium, sed inopina venire amat. Sic Felix spem Matris nascendo delusit, & nomen implevit.*

Homil. 8. in Evangel.

In Vita ejus cap. 1.

9. In Christo Redemptore duas Fide tenemus distinctas hypostaticè unitas naturas, divinam scilicet & humanam: pariter in Institutione hujus Redemptricis Religionis duos numeramus Sanctos Institutores, Joannem nimirum & Felicem; per Joannem, utpote *Gratiam* (dicere liceat) Divinam; in Felice verò, quia antea Hugo, quod nomen H. aspirationis literâ incipit, utpotè *In statu culpæ gementis nota*; humanam symbolizamus naturam; quæ in ut Christo Davidico Regali progenita est sanguine, ità & in S. P. N. Felice Regius Cæsareusque Sanguis nativitatis est. Hugo enim, qui jam noster Felix est, ex Patre Ranulpho Hugonis Franci Filio, quem Henricus I. Rex Galliæ ex Mahumud Henrici II. Imperatoris Nepti genuit.

10. Chri-

Cap. 2. 10. Christum, ut inquit S. Evangelista Lucas, *Tulerunt in Jerusalem, ut sisterent eum Domino* :: : *& ecce Homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus expectans consolationem Israël, & Spiritus Sanctus erat in eo* ::: *& cùm inducerent Puerum Jesum Parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem Legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas, & Benedixit Deum.* Nec alterius ad Analogiam quàm Bonaventuræ Baronis adfero verba: *Eleonora tum gratitudinis titulo, ut Prolem referret acceptam Domino Deo, tum stimulo spei, ut Cœlesti Benedictione convalesceret ad frugem; non abivit Ambiano, neque Aulam suam repetivit, nisi ingressa celebre illud Cœnobium Claravallis, ubi Bernardus Abbas septingentis Monachis præsidebat. Eoque magis inde expectabat subsidium, quòd tanta molis fabrica erecta est, quam maximè liberalitate D. Theobaldi IV. Comitis Campanensis & Blesensis, qui Eleonoræ fuit Germanus Frater. Hinc accedenti illi totus, ille cœtus Sanctorum obvius processit in suas acies ordinatus. Et ipse Abbas Sacrum celebravit solito pietatis affectu; quo absoluto instar Simeonis Infantem in ulnas accepit, & obtulit Domino Deo, orans eum in suum reciperet, & suis obsequiis vellet cum Matre mancipatum.*

Apparat. Annal. part. 4. §. 7.

11. Christus Redemptor noster in Eremo Jejuniis, Orationibus, sanctisque Exercitiis se ad Redemptionem universi generis humani disposuit: SS. PP. NN. Joannes & Felix multis annis vastas incoluêre solitudines precibus, jejuniis, mortificationibus, & omni Virtutum genere erant intenti priusquàm ad sublime Redemptionis munus cœlitus evocarentur. Christus Redemptor noster Leprosos mundabat, Dæmones expellebat, Mortuos ad vitam revocavit, pluribusque Miraculis cœlestem suam confirmavit doctrinam: qui Vitas SS. PP. NN. Joannis & Felicis inspexerit, quòd iisdem à Christo glorificati fuerint miraculis, luculenter satis perspiciet.

12. Christus prope jam ut Passione suâ, & cruento Sacrificio Redemptionis munus adimpleret, in Monte Thabor coram Discipulis suis cœlesti splendore vestitu niveo, inter Moësen & Eliam loquens de excessu,

in

in nube lucida apparuit, & transfiguratus eſt: cauſam hujus reddit doctiſſimus Cajetanus dum inquit: *Geſta autem ſunt hæc ad demonſtrandum officium prædicantis, & redimentis Mundum.* Et S. Leo Papa non minùs congruenter idem ſuâ gloſsâ illuſtravit, aliam nimirum ad propoſitum cauſam reddens: *Ut ejus ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet.* Et ecce S. P. N. Joannes Mattenſis Secundus Redemptor jam ejuſdem honoris conſortium promeruit; non quidem in illo Monte Thabor, bene verò in puritate Sacerdotali, *Thabor* enim ſecundùm interpretationem S. Hieronymi *Puritas* eſt: *reſplenduit Facies ejus ſicut Sol*: *Veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*, dum Neo Sacerdos in Monte Sancto Sacerdotalis Puritatis (ut ſolemne eſt in introitu) cum Regio Vate precaretur: *Emitte Lucem tuam, & Veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in Montem Sanctum tuum.* Cùm nimirum in ſuis Solemnibus Miſſarum Primitiis ſpecies Panis & Vini in verum Corpus & Sanguinem tranſubſtantialiter converteret, & omnium oculis ſpectandam adorandamque attolleret Hoſtiam; ecce Angelus Domini in conſpectu omnium ſupra Altare palam ſe dedit, Veſtibus ſummè candidis, & quâ parte pectus operiebant, Cruce mirabili inſignitus, parte nimirum rectâ purpureum, tranſverſâ verò cœruleum præferebat colorem: Brachiis pariter cancellatim junctis, vivam aliam exhibebat Crucis figuram; duos ante ſe Captivos Chriſtianum unum alterum Maurum Catenis onuſtos tranſverſis tenebat manibus, ceu unum altero permutare vellet. Palmare Miraculum! novitate ſuâ, & myſterioſâ ænigmate circumfuſam animo ſuſpendit multitudinem: ipſe verò Sacerdos Joannes vir planè cœleſtis in extaſim raptus, mentis patitur exceſſum: Moëſen & Eliam tunc unus ipſe (ut eventus docuit) repræſentavit; Moëſen, ut Redemptor Chriſtiani Populi; Eliam, ut Legiſlator Ordinis Trinitarii futurus; ut verè cum Cajetano mihi dicere liceat: *Geſta autem ſunt hæc ad demonſtrandum officium prædicantis & redimentis.*

Cajetanus.

Leo Papa.

Matt. 17.

Pſal. 42.

Actus Apost. cap. 7. v. 35. *dimentis.* Vel ut adhuc propriùs cum Sacra Pagina loquar : *Hunc Deus Principem & Redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi.*

13. Adfuère hujus visionis oculati Testes, simul & cœlestis revelationis Præcones ipse Episcopus Parisiensis, Abbates S. Victoris & S. Genovetæ cum Monachis suis, Rector Magnificus Universitatis sociatus pluribus Doctoribus, Civibusque Parisiensibus. Robertus Abbas S. Victoris Cœlestino III. Romano Pontifici hæc acta Parisiis, Romam retulit ; Epistola relationis tenore sequenti inventa est, quam ut rarum antiquitatis monumentum ex suo originali extractum affero.

Beatissimo Patri in Christo D. Cælestino humillimus Robertus indignus Abbas S. Victoris.

D*Eus, qui quotidie mirabilia operatur, ostendit misericordias suas super servum suum Joannem Mattensem Doctorem, & Presbyterum Parisiensem. Sciendum est, quòd in prima re sacra, quam Deo offertus est in Sacello Episcopi Mauritii diequinto Kalendas Februarii, divinitus consolari meruit. Nam Angelus Domini candidissimâ veste, & magno fulgore indutus, & insignitus cruce cærulei, & rubei coloris ei apparuit, quem in dextra, & sinistra illius adorabant duo Captivi, de quo elevatus est. Interrogans ego eum : cur per horam unam suspensus fuerat post Consecrationem? mihi respondit magnâ humilitate, & lachrymis : vidi visionem beatificam in Eucharistia. Deprecor, ut inter miracula illud numeres. Dat. Parisiis Kalendas Julii, Anno Christi nati* 1193.

14. Postmodum Anno 1198. die 28. Januarii in festo S. Agnetis secundo Virginis, & Martyris Romæ in S. Joannis Lateranensis Basilica coram Innocentio III. Summo Pontifice, & magno Cardinalium Conventu, Civiumque Romanorum multitudine, astantibus SS. PP. NN. Joanne, & Felice Anachoretis inter Missarum Solemnia eadem cœlestis repetita fuit visio, quo iterato Miraculo Pontifex sacrum approbavit Ordinem, & eundem Titulo Sanctissimæ Trinitatis cum Canonico Re-

demptionis

demptionis Captivorum Instituto decorari jussit, ejusque Professoribus candidas vestes, cum Cruce rubei, & cœrulei coloris præbuit ad eandem formam, quâ Angelus indutus iteratò apparuit. S. Agnetem Virginem, & Martyrem Ordinis Patronam atque Protectricem designavit, & ut quot annis dies hæc anniversaria solemnissima esset, decrevit.

15. Et hæc de cœlesti planè Sanctissimæ Trinitatis Redemptricis Religionis revelatione, quæ ut omnem suum à Christo Redemptore velut luna à sole mutuatur splendorem; ita & pariter nos talis ac tantæ Matris Filios oportet *magis* (ut loquitur Apostolus) *conformes* *Rom.* 8.
fieri imaginis Filii Dei.

CAPUT VIII.

De Origine, Fundatione, & Quarto Voto Ordinis B. V. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

1. PLures sunt Sacræ Congregationes, quæ sublime Redemptionis exercitium in ingens Captivorum solatium sibi assumpserunt; sed inter omnes Ordines post Ordinem Sanctissimæ Trinitatis huic Sancto operi ferventiùs incumbit inclytus Ordo B. Mariæ Virginis de Mercede, dictus etiam olim S. Eulaliæ. Quare cùm plurimi sint, quibus hic Ordo his in partibus incognitus sit, qui propter Redemptionem Captivorum patiantur æquivocationem, & hunc cum Sancto nostro Ordine eundem putent, diffusiùs de eo disserere visum fuit.

2. Hic sacer Ordo inde suam duxit Originem: S. Petro Nolarch, hodie Nolasco, qui tunc temporis Ordinem Militarem Equitum Sanctissimæ Trinitatis profitebatur, nec non Jacobo I. Rege Aragoniæ, qui dictus fuit Conquisitor, & S. Raymundo de Peñafort Ordinis S. Dominici Jacobi Regis Confessario, his tribus testibus Beatissima Virgo Maria serenâ fronte conspiciendam se

 dedit,

dedit, simulque iisdem intimavit sibi & unigenito Filio suo acceptissimum fore, si in suum honorem Ordo institueretur, qui pariter Captivos ab infidelium tyrannide liberaret: postero manè Petrus ad Raymundi pedes advolvitur (erat enim illi à Confessionibus) & ei rem omnem aperuit, qui admiratur utrosque unam eandemque cœlestem habuisse visionem; auxit utrisque admirationem superveniens Jacobus Rex, dum quæ sibi nocte illâ contigêre enarravit; igitur, collatis inter se consiliis unanimiter revelationem exequi statuerunt.

3. Quapropter die constituto 10. nimirum Augusti Barchinonæ Berengarius de Palau ejusdem Civitatis Episcopus, olim in Conventu nostro Illerdensi Trinitarius Professus, constat enim ex quadam ejusdem in dicto Conventu picta effigie cum hac in lingua Catalauna inscriptione: *Don Fra Berenguer de Palau Bisbe de Barselona fil de aquest Monastir.* Et Catalogus pervetustus in pargameno conscriptus, qui hodie conservatur in Ecclesiæ Barchinonensis Archivo omnes Episcopos ejusdem Ecclesiæ exhibens hæc habet: *Dominus Frater Berengarius de Palau Ordinis Sanctissimæ Trinitatis è Monasterio Illerdensi.* Hujus Episcopi mentionem facit Breviarium Romanum
Lect. 4. die 23. Januarii. Hæc refero, ut demonstrem quantum Ordo B. Mariæ Virginis de Mercede in suis primordiis non tantùm de Ordine Militari Equitum, sed etiam de Regulari Sanctissimæ Trinitatis, sibi gratulari & gratificari queat.

4. Et ut jam ad nostri Instituti revertamur: hic Berengarius toto suo cum Clero, Rex Jacobus cum S. Raymundo de Peñafort Confessario. S. Petrus Nolascus sociatus duobus Equitibus Trinitariis Raymundo nimirum de Moncada & Guilielmo de Cervelione, omnes novi Ordinis candidati, unà cum universa Aula Aragoniæ, in Ecclesia, in qua Corpus S. Eulaliæ perquàm honorificè tumulatum est, coram principe Altari sub invocatione sanctæ Crucis convenerunt: & postquàm Episcopus facundè ad circumstantes paræneticam dixisset ora-

orationem, Petrus de Nolasco, & ejus socii ad genua provoluti magnâ humilitate, & devotione novi Ordinis Habitum totum Candidum à S. Raymundo de Peñafort susceperunt, cui postmodum anno 1251. Jacobus Rex suum Insigne supra pectus gestandum addidit. Permanserunt itaque novi Ordinis Professores tempore aliquo in Episcopali palacio orationibus & sanctis exerciis intenti, usque dum Rex ipsis Barchinonæ Ecclesiam & Hospitale S. Eulaliæ traderet, de quo ut plurimùm fratres S. Eulaliæ sunt nuncupati.

5. Circa annum fundationis hujus Ordinis inter Authores diuturna ventilata fuit quæstio, cùm diversi absque certitudine diversa assignarent tempora: sed hodie tantùm controversia est, an nimirum anno 1218. vel potiùs anno 1228. hic Ordo fundatus sit? Patres Mercenarii tuentur præcedentem annum 1218. sed Patres Dominicani, qui vitam & gesta S. Raymundi de Peñafort condidêre cum sexcentis aliis demonstrant fundationis annum posteriorem 1228. esse. Et sanè Recentiorum quidam eruditissimè & evidentissimè per 32. paginas in folio demonstrat, Ordinem B. V. Mariæ de Mercede anno 1228. fundatum fuisse, & quidem tantâ claritate, & ratione, ut Lectori & arbitris nec quidem vestigium dubii relinquat.

6. Gregorius IX. Summus Pontifex anno Christi 1235. hunc Ordinem confirmavit, & Professoribus ejusdem Regulam S. Augustini observandam tradidit. Bulla confirmationis in Bullario Cherubini sequentis est tenoris.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus domûs Sanctæ Eulaliæ Barchinonensis salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus inclinati præsentium vobis authoritate concedimus, ut cùm nondum aliqua sit à vobis ex Religionibus approbatis assumpta, Beati Augustini possitis Ordinem profiteri. Datis Perusii decimo sexto Kalendas Februarii, Pontificatûs nostri anno octavo.

7. Hanc confirmationis Bullam paulò pòst Reve-

 rendissimo

rendiſſimo P. Generali Trinitariorum exhibuerunt, ſimul & licentiam petierunt, ſibi Magiſtrum Ordinis propriâ Authoritate conſtituendi. Originalis Epiſtola invenitur in noſtro primitivo Conventu Cervi frigidi, cujus extractum pariter refert Pierre in Epiſcopos Meldenſes, N. P. Ildephonſus à Sancto Antonio in additionibus ad Titulos Glorioſos, & eſt ut ſequitur.

Nos Magiſter & Milites Sanctæ Trinitatis Captivorum functi in fraternitate Sanctæ Mariæ de Mercede, nominatim Fr. Petrus Nolarchus, Fr. Guillermus de Monte Cateno, Fr. Arnoldus de Rupe folio, & cæteri Milites ejuſdem Confraternitatis, qui conſequuti ſumus approbationem & Authoritatem Militiæ S. Mariæ de Mercede à Patre noſtro Gregorio Nono Pontifice Maximo, notoriam eam tibi facimus, cujus tenor ſic eſt: Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Fratribus Domûs ſanctæ Eulaliæ Barchinonenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Devotionis veſtræ precibus inclinati præſentium vobis authoritate concedimus, ut cùm nondum aliqua ſit à vobis ex Religionibus aſſumpta Beati Auguſtini poſſitis Ordinem profiteri. Datis Peruſii decimo ſexto Kalendas Februarii, Pontificatûs noſtri anno octavo. Eapropter humiliter tibi petimus licentiam, & beneplacitum, ut nominare & Magiſtrum inter nos eligere poſſimus. Datis Barchinonæ pridie Kalendas Octobris anno quo ſupra.

8. Ingentem huic epiſtolæ nectere commentarium neceſſe fuerat, ſed breve ſufficiat Scholion; ut his & prædictis in capite 6. num. 13. ſatisfaciam. Primò ſupponenda eſt hæc Epiſtola authentica, quia legaliter ex ſuo originali extracta. Secundò trahenda non eſt rurſum ad Grammaticam, eſt enim vetuſtiſſima, & talis ut inventa eſt, abſque correctione, & ſincerè proferri debuit. Tertiò notetur ſignificatio literarum R. P. M. N. eſt ſenſus tituli *Reverendiſſime Pater Miniſter Noſter*: Ex quo patet, quòd Generali Miniſtro Trinitario pro tempore ſubjecti fuerint, & ab ipſius obedientia & diſpoſitione pendebant; quod & amplius patet ad finem Epiſtolæ: *Eapropter humiliter tibi petimus licentiam & beneplacitum, ut nominare, &*

Ma-

Magistrum inter nos eligere possimus. Quartò: His verbis: *Nos Magister & Milites Ordinis Sanctæ Trinitatis captivorum.* Fatetur S. Petrus Nolascus se suisse Equitem Trinitarium, & cujusdam Commendæ Magistrum. Quod & amplius patet ex concordia Corbariæ die 7. Aprilis anno 1226. facta inter Equites Templarios & Trinitarios, scilicet ut suprà meminimus, quòd greges Militum sanctæ Trinitatis pascere possint liberè in omnibus hæreditatibus & pascuis Ordinis S. Templi, & econtra. Hanc concordiam S. Petrus Nolascus primus subscripsit, & suo signo, ut Eques Trinitarius munivit, quem in subscriptione sequuntur Guillermus de Cervellione, qui cum eo novum Ordinem de Mercede assumpsit, Petrus de vetula, Giraldus de Bocato, Jacobus de Ortato omnes Equites Trinitarii sub Commenda & Magisterio S. Petri Nolasci. Quintò. *Functi in fraternitate Sanctæ Mariæ de Mercede*, quod indicat quandam Laicorum congregationem, ut est S. Joannis de Deo Fratrum Misericordiæ. Præterea in Epistola Petri III. Regis Aragoniæ ad Innocentium IV. die 17. Januarii anno 1358. data Valentiæ constat ex sequentibus, Congregationem tantùm fuisse Laicorum, scilicet: *Ordinem S. Mariæ de Mercede, qui in multis mundi partibus Ordo Beatæ Eulaliæ nuncupatur, constituit*, scilicet Jacobus Rex, *& in ipso fratres Laicos ordinavit, &c.*

9. Insuper ipsemet Alphonsus Ramon Ordinis B. V. de Mercede Chronista Generalis fatetur ingenuè Ordinem Mercenariorum in suo Principio sub septem primis Magistris Generalibus sæcularibus purè fuisse Militarem & sæcularem. Ventum est ergo, ut Sacerdotes, qui in eodem Ordine pauci erant, Barchinonæ die 15. Junii Anno 1302. sibi Magistrum Generalem Sacerdotem Raymundum Albertum eligerent, quam Electionem Episcopus Barchinonensis suâ Authoritate confirmavit: & nihil his obstantibus Laici parebant Arnoldo Americo Magistro Generali purè Laico. Sacerdotes Laicum pro Superiore noluerunt recognoscere, Laici Raymundo Magistro Generali Sacerdoti absolutè obedientiam negârunt,

& ita in partes secabantur. Causa delata est ad Clementem V. Summum Pontificem, qui rem Guillermo Arcufati Cardinali Presbytero titulo S. Pontianæ recognoscendam commisit, ut ambas audiret partes, sibique referret; exactâ igitur accuratissimâ informatione dictus Cardinalis in Civitate Pictaviensi coràm Summo Pontifice, & Sacro Cardinalium Collegio multas utriusque partis causas & allegationes retulit. Visis igitur & ponderatis rationibus, visum fuit Summo Pontifici & Sacro Collegio contra Sacerdotes sententiam ferre; quare electionem in Raymundum Albertum penitùs annihilavit, & confirmationem, quæ non fuit per suos Antecessores Romanos Pontifices, sed per Episcopum Barchinonensem data, irritam & invalidam & contra jus declaravit. Insuper in Bulla Pictaviæ die 13. Februarii Anno 3. sui Pontificatûs emanata, statuit: quòd Ordo B. Mariæ de Mercede purè Militaris sit, & maneat; & quòd ejusdem Legitimus Magister Generalis sit Arnoldus Americus purè Laicus & Sæcularis: Res verò concernentes Gubernium Spirituale, ut Officium Divinum & cætera similia ad Priorem Generalem Sacerdotem, prout tunc erat dictus Raymundus Albertus, pertinere declaravit.

10. Tandem defuncto Americo, electus est Arnoldus Rosiniol septimus & ultimus Magister Generalis Laicus, nam Joannes XXII. Pontifex Max. die 17. Mensis Novembris Anno 1317. Avinione in Gallia cum consensu totius Sacri Cardinalium Collegii per suam diffinitivam sententiam declaravit: ut imposterum Ordo de Mercede regatur stilo monastico sub Magistro Generali Sacerdote, qui literis atque virtutibus concordi suffragio cæteros excellat, & ita annullavit Electionem in Berengarium Hostales Militem & Laicum ejusdem Ordinis, & cæteris Militibus & Laicis perpetuum imposuit silentium, ne unquam Laicum in Magistrum Generalem eligere possint, & à prædicto Anno 1317. incipiendo à Raymundo numerant defacto Patres Mercenarii Magistros suos Generales. Et hæc sunt, quæ ipsemet Chronista Generalis Alphonsus

phonſus Ramon in ſui Ordinis Chronica fuſiùs lib. 6. cap. 3. & 12. 14. & 15. & lib. 7. cap. 8. refert.

11. Jam ut telam abſolvamus, de quàrto Voto ejuſdem Ordinis quid breviter dicendum ſupereſt, quod aiunt eſſentiale conſtitutivum & diſtinctivum (quamvis huic ſententiæ pauci aſſentiant) Ordinis B. Mariæ de Mercede: Hoc votum in forma Profeſſionis ita exprimitur: *Et in Saracenorum poteſtate in pignus (ſi neceſſe fuerit ad Redemptionem Chriſti Fidelium) detentus manebo.* Et in Conſtitutionibus à R. P. M. Zumel diſpoſitis, & Anno 1588. Salmanticæ impreſſis cap. 30. de Redemptoribus circa hoc Votum ſtatuitur: *Et hoc fiat, quandocunque fieri contingat de licentia Magiſtri & Diffinitorum Capituli.* Jam an hoc Votum ſit ſimplex, an ſolemne, controverſum manet, cùm nulla ſpecialis Bulla pro tali voto reperiatur; quod ſcitur, eſt hoc Votum non eſſe abſolutum, ſed tantum conditionatum: *Si neceſſe fuerit, ſi licentia Magiſtri, & Diffinitorum Capituli obtineatur.* Qui utique concedere vel negare poſſunt licentiam, nihil aliud quàm quid purè conditionatum declarant. Se tradere pro Redemptione Captivorum, ſi neceſſe fuerit, in poteſtatem infidelium, pariter in Ordine Sanctiſſimæ Trinitatis ſemper eſt in praxi, verùm non ex Voto, ſed ex pura charitate; nec hîc requiritur licentia Magiſtri vel Diffinitorum Capituli, neceſſitas enim ut caret lege, ita non indiget licentiâ; hîc charitas eſt quæ imperat, quæ nec mandatum Superiorum expectat, ſed implet.

12. Tempus, quo quartum hoc Votum incepit, indeterminatum eſt. Bonifacius VIII. Summus Pontifex in Bulla Anno 1297. emanata, de tanto Charitatis Redemptionis nimirum opere PP. Mercenarios ſummis extollit laudibus, ſed nullius Voti fit mentio, quod utique feciſſet, ſi tale Votum eo tempore in Ordine de Mercede viguiſſet. Calixtus III. Summus Pontifex in Bulla data pridie Kalendas Novembris Anno 1457. Votum hoc primus expreſſit, & quidem acceſſorium, & poſteriùs indicat, dicens: *Nos meditantes, quòd ex acceſſione emiſſionis*

 poſte-

posterioris Voti videlicet pro Redemptione, &c. Sed satis hac de re disputatum sit, quæ potiùs laudem quàm censuram meretur.

CAPUT IX.

De cæteris Ordinibus, & Congregationibus, quæ Redemptionem Captivorum laudabiliter exercuerunt.

1. NEcdum omnes lustravimus acies, quæ veluti auxiliatrices copiæ in Redemptionis opere non minimum Ordini SSS. Trinitatis subministrant succursum; illos enim qui in Captivitatis tenebris, & in umbra mortis sedent, vincti in mendicitate & ferro, una non solùm Cynosura argenteis fulgoribus illuminare consolarique debuit, sed plura eisdem faventia oportebat lucere sidera, quorum benigno in fluxu plures Christiani à diro Barbarorum jugo emancipati, patriæ feliciter restituerentur.

2. Et imprimis quidem antiquissimus Ordo Equitum S. Sepulchri Hierosolymitani non minimam in suis numerabat obligationibus redimere captivos: Fundatus est hic Ordo à S. Helena Constantini Magni Primi Christianorum Imperatoris Matre; quæ quosdam Nobiles ex suo selegit comitatu, qui primi hujus Ordinis Equites forent, hisque custodiam S. Sepulchri Hierosolymitani commendavit: Præcipuum illorum munus fuit custodire S. Sepulchrum, bellum summis viribus adversùs infideles gerere, redimere captivos, singulis diebus Sacrum audire, recitare Horas Crucis, & in memoriam quinque vulnerum Domini nostri quinque rubeas cruces gestare.

3. Cosmus Mediceus secundus Dux Florentiæ Anno Domini 1561. Equestrem instituit Ordinem S. Stephani Proto-Martyris nuncupatum, quem Pius Papa IV. Kalendas Februarii dicti anni sub Regula S. Benedicti confirmavit, & hujus Ordinis Equitibus universa, quæ ha-

habent Melitenses Privilegia gratiosè concessit : gestant hi Equites in sinistra parte rubram Crucem ; obligatio eorum est pro defensione Christianæ fidei terra marique arma gerere , redimere captivos , &c.

4. Olomutii Moraviæ Metropoli die 17. Novembris anno Christi 1618. Ordo Equitum Militiæ Christianæ sub invocatione B. Virginis Mariæ , & S. Michaëlis Archangeli institutus fuit à Carolo Conzaga Clivensi , Duce Niverino , & Rethelensi Patricio Franciæ , & Adolpho Comite ab Altham. Ordinis hujus præclara Instituta digna admiratione missa facio , & Lectorem ad Archonthologiam Godofridi remitto , quin tamen prolixus sim unum vel aliud tantùm Redemptionem Captivorum commendans adduco; & primum quidem Statutum ordiebatur ità : *Hic Ordo pro basi habet duo præcipua legis divini præcepta : Amare Deum toto corde , & totâ animâ , & proximum sicut seipsum. Scopus ipsius est ; pacem , & concordiam inter Principes , & Populos Christianos sancire , & ex infidelium manibus eripere eos qui ab illis opprimuntur.* Et in 2. Statuto, ubi agitur de modo recipiendi in Ordinem Equites, hæc decernuntur ; *Deinde Habitum infrascriptum , Gladium , & Crucem ei dabit , ipsumque amplectens unus ex senioribus Equitibus dicet : Recipimus te in Ordinem Equitum Militiæ Christianæ sub titulo B. Virginis , & S. Michaëlis , ut ipsorum intercessione S. Trinitas te confirmet in gloria nominis sui ad pacem Christianorum , & eliberationem eorum , qui sunt oppressi ab infidelibus , Amen.* Tandem ultimò sunt quinque puncta juramenti , cujus secundum ita sonat : *Secundò me operam daturum , ut Christiani , qui ab infidelibus oppressi sunt , & captivi detinentur , liberentur , &c.* Hic Ordo anno Domini 1619. die 8. Martii Viennæ Austriæ à multis Principibus , & Dynastis diversarum Nationum susceptus fuit : demùm Romæ anno 1624. die 6. Februarii ab Urbano VIII. Summo Pontifice , præsente Duce Niverino Ordinis Institutore, confirmatus est. Adolpho verò Comiti ab Altham ididem Institutore, Viro teste Nierenbergio, exaggeratissimæ semper virtutis

Circa finem de Ordinibus.

Virtus Co-

ronata cap. 4. §. 1. tutis propter ingentem, quem erga pauperes Christianos Captivos tenebat, solicitudinem, Ferdinandus II. Romanorum Imperator mandavit, ut ab officio, & munere quolibet, quorum per Regna, & Provincias innumera sunt, triginta tres aureos Hungaricos exigeret, quibus Redemptio è Captivitate Turcica Christianis Captivis procuraretur; quod & laudabiliter præstitit, & mandato Cæsareo obsequens, & novi sui Ordinis Statuto devotus Comes.

5. Floret in Austriaca Augustissima Aula & nobilissimus Crucigerarum Ordo, ad quem non nisi ex prima & præcipua nobilitate Dominæ assumuntur: Institutus est hic Ordo ab Augustissima felicis memoriæ Imperatrice Eleonora, in honorem salutiferæ Crucis Christi, de qua binæ reales Particulæ in eadem Aula honorificentissimè fuêre asservatæ, has Maximilianus I. Romanorum Imperator uti comites, ità & victoriosas semper habuit, Ferdinandus III. nunquam sinè illis esse voluit, & easdem præmentionata Augustissima Imperatrix summi thesauri loco piissimè semper custodivit. Quare cùm anno Domini 1668. Aula Cæsarea infesto concremaretur Vulcano, nihil ità in hoc incendio arsit & cruciavit Augustissimam, quàm sacras Crucis Particulas ignis periculo expositas esse: sed manifestum miraculum! in medio flammarum manent illæsæ; & inde major in Crucem exarsit pietas atque devotio, quæ causa fuit, quòd Augustissima in perpetui amoris & gratitudinis testimonium, nobilissimum hunc Crucigerarum Ordinem instituerit. Clemens X. Pontifex Maximus eundem Apostolicâ Bullâ confirmat, dilaudat, summis gratiis & privilegiis, indulgentiisque donat; pariter & Augustissimus Imperator Leopoldus I. nobilissimum hunc cœtum publico diplomate in suam recepit protectionem. Tutelares hujus Ordinis sunt Dolorosa Dei Genitrix, & Castissimus ejus Sponsus S. Josephus. Inventio S. Crucis primarium & Titulare Festum est: Exaltatio verò S. Crucis sacrâ Synaxi aliaque pietate est solemnis, specialiter autem

autem in Gazophylacium Redemptionis copiosa ponitur Eleemosyna, similiter die veneris ante Dominicam Palmarum, ab Augustissima & Serenissima Domo, totaque Austriaca Aula nostris Patribus pro Redimendis Captivis magna vis auri contribuitur. Præterea pridie horum Festorum est jejunium: pariter ad Beatissimam Virginem Hiezïganam annua instituitur Processio, & ad singulas in via Passionis Christi Stationes preces singulæ & exhortationes sunt. Item vi Regularum Congregationis invisenda hospitalia, elargiendæ eleemosynæ, quotidie Sacrum audiendum, statæ persolvendæ preces, & varia pietatis ac virtutum opera sunt exercenda, in quibus omnibus ambæ Cæsareæ atque Regiæ Majestates, veluti tot inter sidera Soles, Austriacâ pietate & prælucent & præeminent: unde quàm optimè Academicus quidam cecinit.

Tanta etiam pietas ipsa reperitur in Aula?
Nec mirum! est Aula hæc scilicet Austriaca.

Singulæ hujus Ordinis Sorores supra pectus Crucis insigne Ordinis tesseram in ligamine pendulam gerunt, circa quam quatuor affabrè volantes Aquilæ effigiatæ cum lemmate *Gloria & Salus.* Quare idem Poëta:

Te Cruce, Te Duce nos nostros devincimus hostes,
O Crux hinc nostra es Gloria, *nostra* Salus.

Hujus nobilissimi Crucigerarum Ordinis moderna Commendatrix est Augustissima Imperatrix Eleonora, quam ut Deus ter Opt. Max. quàm felicissimè atque diutissimè conservet, precamur.

6. Plures adhuc sunt sacræ Congregationes & Confraternitates, quæ redemptionem in magnum captivorum solamen & spem insigniter procurârunt, inter quas celebrior est Confraternitas *de Misericordia* nuncupata, quæ in Lusitania anno Christi 1498. à Reverendissimo & Venerabili Patre Michaële de Contreras Ordinis SSS. Trinitatis Redemptorum Capt. Religioso,

& Sereniſſimæ Eleonoræ Reginæ Portugalliæ Confeſſario fundata eſt. Hæc non pluribus quàm ſexcentis conſtat Perſonis; trecentæ ſunt de Primoribus totius Regni Dynaſtis, & trecentæ de opulentioribus Civibus, qui ſingulis annis in Redemptione Captivorum, aliiſque tam corporalibus quàm ſpiritualibus miſericordiæ operibus octuaginta millia Aureorum expendunt, & ſæpiùs ſumma centum millium tranſcendit: hujus almæ Congregationis gratioſos & benificos influxus remotiores etiam Orbis partes ſenſêre.

7. Alphonſus II. Rex Aragoniæ Avus invicti Regis Jacobi hujus Nominis Primi Ærâ 1220, id eſt anno Chriſti 1182. fundavit Confraternitatem, cui pariter Redemptionis munus incumberet: hæc poſtmodum in generali Congregatione, quæ celebrata eſt in Civitate Balbaſtro, anno ſcilicet Chriſti 1192. multis gratiis & privilegiis condecorata fuit, quæ nunc inſerta ſunt Conſtitutionibus Catalauniæ Principatûs vol. 1. pag. 550. In Civitate Barchinonenſi pariter pro Redemptione Captivorum erectæ ſunt Confraternitates ſub titulo S. Elmi & S. Stephani. Item Romæ antiqua & inclyta floret Confraternitas dicta B. Virginis Mariæ de Confalon, quæ ſe in redimendis Captivis, qui fuêre Statûs Pontificii Subditi laudabiliter occupat; gaudet hæc Confraternitas magnis præeminentiis, gratiis & privilegiis, quæ inſertæ ſunt Romano Bullario Cherubini in Gregorium XIII. Conſtit. 38. & 69. & in Sixtum V. Conſtit. 21.

8. Pergamus igitur Illuſtres & inclytæ militantis Eccleſiæ Phalanges; tam Sancto & præcellenti ultro inſiſtamus operi; ſic enim veri Chriſtiani, ſic opere Chriſti Redemptoris audiemur veri imitatores: inſonet nobis celeuma, quod olim in navicula Divi Petri Archi-Talaſſus Innocentius III. ad divinitùs vocatos Inſtitutores Joannem & Felicem Ordinis Trinitarii Patriarchas Glorioſiſſimos poſt admirabilem per Angelum S. N. Ordinis revelationem in paræneſi coram univerſo S. P. Q. R. peroravit; nimirum: *Ite igitur Angeli veloces, quos Angelus ducit &* *do-*

P. Macedo

docet, ad Gentem convulsam & dilaceratam, avulsam à parentibus, & patria vi Turcarum, & discerptam, ac divisam per urbes & carceres Barbarorum, ac opera vestra in libertatem asserite, ad patriam reducite, suis & Christi Ecclesiæ reddite. Hoc vobis confirmo, dum corpora à captivitate Maurorum asseritis, & animas interdum à Servitute dæmonum liberaturos. Quòd si periculo id vestro fieri contingat, eò veriùs Redemptores eritis, quòd Christo similiores evaditis, cui Redemptio sanguine stetit; quem si vos dum redimitis effundatis, jam non Angelum sed Christum exhibebitis. *cap. 13. in Vit. S. Joannis de Matta.*

CAPUT X.

Redemptio Captivorum est proprium & essentiale Institutum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis.

1. NOmen hoc Institutum ut ad præfixum terminum atque intentum meum in terminis loquar, sub duplici distinctionis membro elucido: est enim multis Ordinibus & Institutum principale & minùs principale. Institutum minùs principale est illud, quod veteri consuetudine legalibus tabulis, vel etiam veteri majorum Jure institutum & ordinatum est: hoc in sensu loquebatur Cicero 2. ad Verr. *Veteri consuetudine instituto majorum.* Et de clarit. Orat. *Juris publici leges & instituta cognoverat.* *Cicero.*

2. Institutum verò principale illud est, ad quod nimirum omnia unicè, & principaliter diriguntur, vel eidem subordinantur. Quod Græci *σκοπὸς* dicunt. Scopus nimirum, ad quem omnia tendunt; sic omnia quæ in Sacro nostro Ordine instituta sunt, unicè & principaliter ad stabilitatem, & firmitudinem Redemptionis Captivorum instituta sunt, & eidem nobis proprio muneri subordinata cognoscuntur: Quod summi Pontifices satis, & sæpiùs suis in Bullis declarārunt, ut sunt verba B. Pii V. dicentis: *Præcipuè cùm Ordo ipse fundatus ad hoc existat* (scilicet Redemptionem Captivorum) *Institutum* *Bulla in-*

Autho-

cipiente, Quia libenter. Bulla incip. Humilibus.

Authoritate Apostilicâ confirmatum. Et Alexander VI. alia in Bulla inquit: *Dictus Ordo ad Redemptionem Captivorum::: principaliter fundatus & institutus est.* Quod in pluribus aliis videre est.

3. Quod & ampliùs claret; nàm si ab Ordine Sanctissimæ Trinitatis tolleretur Institutum Redemptionis Captivorum, tunc Ordo hic noster specie distingueretur ab eo, qui nunc est, quia tolleretur ei essentiale, & specificum, & constitutivum prædicatum: nam Vota essentialia Religionis, Statuta, Leges, Constitutiones, sacræ Consuetudines, Oratio mentalis, Silentium, Mortificatio, & plura sancta & religiosa exercitia, quæ cum cæteris Ordinibus habemus communia, integro fermè anno posteriùs sacro nostro Ordini & Instituto advenerunt; quod nostrum Sacrum Ordinem instituit, & ut talem in suo esse formali ordinavit, solum Institutum est Redemptionis Captivorum.

4. Ipsa sacra nostra Regula, etsi sit propria, & ab omnibus aliis Regulis distincta, cùm jam supponat Institutum redimendi captivos, nullo capite denuò ad illud expresè nos obligat, sed tantùm perfectiorem præcipit modum, excellentiorem tradit formam, quâ tam sublime Institutum perfectiùs excellentiùsque exequamur, uti est separatio tertiæ partis ex propriis bonis Ordinis, *quæ reservetur*, ut inquit S. Regula, *ad Redemptionem Captivorum, qui sunt incarcerati pro fide Christi à Paganis, vel dato pretio rationabili pro Redemptione ipsorum, vel pro Redemptione Paganorum captivorum, ut posteà rationabili commutatione, & bonâ fide redimatur Christianus pro Pagano secundùm merita & statum personarum.* Et paulò infrà: *Si fuerint in via profecti ad redimendum Captivos, quidquid eis datum fuerit, totum debent ponere in Redemptione captivorum, &c.* Quorum nihil est institutum, sed tantum Statuta Instituto Redemptionis subordinata. Institutum enim sacri Nostri Ordinis jam 28. Januarii in Festo S. Agnetis Virginis & Martyris secundo, anno Domini 1198. cùm iterata fuisset coram universa Ecclesia

Regula cap. 2. Omnes res.

clesia miraculosa Ordinis revelatio, ab Innocentio III. summo Pontifice approbatum fuit hoc vivæ vocis oraculo: *Hic est Ordo approbatus, non à sanctis fabricatus, sed à solo summo Deo.* Quo tempore adhuc nulla Regula observata fuit.

5. Patet hoc ampliùs ex Apostolicis Literis, & quidem ex primis Innocentii III. Pontificis Max. datis Romæ die 16. Maji Anno 1198. in quibus primam Cervi frigidi Domum sub B. Petri & sua protectione recipit, & Possessiones, & Bona jam novo Ordini acquisita confirmat, ubi inter cætera hanc habet constitutionem: *Statuimus etiam, ut domus vestra præsentes atque futuræ, à statu illo, in quo eas deliberatione providâ ordinâstis, videlicet ad Redemptionem Captivorum, vel ab observantia vestri Ordinis, & Institutionis nullius præsumptione temerariâ valeat immutari.* Nunc inquiro? *Quæ est illa Observantia Ordinis vel Institutionis?* Non est Regula, quia mensibus septem unoque die ante Regulam hæc Bulla fuit expedita: nullum ergo aliud Institutum & observantia N. Sacri Ordinis tunc temporis esse potuit, quàm *videlicet Redemptio Captivorum.* Quare non immeritò Urbanus VIII. Summus Pontifex vocat hoc *peculiare*, & iterùm *Cannonicum Institutum*, & rursus in alia bulla hoc *proprium & præcipuum Institutum* nuncupat.

Bulla incip. Cùm à nobis.

Bulla incip. Redemptoris nostri.

Bulla incip. Ex incumbenti nobis.

6. Verum est, plures esse Ordines & Congregationes (uti vidimus) quæ Redemptionis Captivorum tenent exercitium, sed non ex munere & Instituto, solùm vel ex charitate, vel ex privilegio, quia illorum proprium & principale Institutum non est; sic defacto plures sunt Ordines, qui diversis in locis apertis scholis publicè instruunt Juventutem, quorum hoc proprium Institutum, ut ipsimet fatentur, nullatenus est. Sic Ordo Sanctissimæ Trinitatis olim Hospitalia & Infirmarias curabat, ut propterea ab Innocentio III. Clemente IV. aliisque Summis Pontificibus, quàm plurimas gratias & favores Apostolicos meruimus; cùm tamen hoc principaliter Crucigeros Hospitalarios cum rubea stella, & Fratres

 S. Joan-

S. Joannis de Deo concernat; sic Ordo Sanctissimæ Trinitatis plures sanctos & zelosos Viros ad terras infidelium, ut Evangelium prædicarent, misit, quod est Inclytæ Societatis Jesu proprium Institutum: Imo Summi Pontifices, inter quos specialiter Urbanus VIII. & Innocentius XI. ex nostra Discalceata Familia Missionarios elegerunt, quos ad Regnum Thremisenum, Tetuanum, & Fezanum ad Christi fidem plenâ potestate evangelizandum delegârunt; sed ista & plura prætereo, & Historiographis nostri sacri Ordinis relinquo, de quibus agere pro nunc non meum, sed illorum est Institutum: sufficiat mihi fateri hæc & similia non esse Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Institutum, qui totus est Redemptionis Captivorum.

CAPUT XI.

De Perfectione, quâ Institutum Redemptionis Captivorum in Ordine SSS. Trinitatis adimpletur.

1. NOn nescius sum illius, quod olim Theodoro suis in Epistolis persuasit S. Hieronymus, scribens: *Hæc est in omnibus sola perfectio suæ imperfectionis cognitio.* Quare dum de perfectionibus quid insinuo, me tam imperfectum, quàm extra omnem affectatæ jactantiæ notam cuncti consulant, velim: & licèt hoc mihi sincerâ promittam simplicitate; timoratæ tamen insidet menti dictum Apostoli: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Odiosam omnem relego comparationem, non ignarus etenim, cunctas ab Ecclesia Dei approbatas Religiones in dilectione Dei & proximi, secundùm Evangelium quàm optimè fundatas, & inde omnes ratione finis perfectissimas esse, ratione tamen perfectioris statuti, exercitii, & executionis, utpotè magis à charitate imperatæ, & quæ magis ad imitationem Christi nostri Redemptoris accedit, unam superare aliam; nemo est qui ignoret, nemo qui dubitet.

S. Jacob. cap. 3.

2. Sunt,

2. Sunt, ut suprà vidimus, Ordines nonnulli, qui, & laudabiliter quidem, Captivos redimunt; sed tantùm eleemosynis illis quas determinatè pro Captivis conquirunt, & sæpiùs aliquam partem illarum licitè in suum usum & commodum convertere possunt, ut constat de Ordine Mercenario, qui sua sibi servat, & tertiam partem ex eleemosynis pro Redemptione Captivorum determinatè datis sibi pariter semper reservat. Econtra verò Ordo Sanctissimæ Trinitatis, nec denarium de eleemosynis pro Captivis collectis in alium finem, quàm pro Redemptione expendere potest, imò de omnibus, quæ illi non pro Redemptione Captivorum, sed pro sua propria sustentatione, undecunque sit, adveniunt, tertiam partem strictissimo præcepto separare tenetur: nunc quis mihi dicat velim, quæ Religio perfectiùs & propriùs ad imitationem Christi Redemptoris nostri sit Redemptrix?

3. Inquirit Angelicus Doctor D. Thomas utrum esse Redemptorem sit proprium Christi? ad quod cum eodem *Respondeo dicendum, quod ad hoc quod aliquis redimat duo requiruntur, scilicet actus solutionis & pretium solutum. Si enim aliquis solvat pro redemptione alicujus rei pretium, quod non est suum, sed alterius, ipse non dicitur redimere principaliter, sed magis ille cujus est. Pretium autem Redemptionis nostræ est sanguis Christi.* Christus Jesus verè & propriè Redemptor noster *non rapinam arbitratus est*, ut S. Paulus Apostolus ad Philippenses scribit, *sed semetipsum exinanivit.* Et tertiam corporis sui partem, sanguinem nimirum, pro redemptione mundi exposuit; de suis enim ossibus vetando mandavit, ut testatur Evangelista Joannes: *Os non comminuetis ex eo.* De carne sua apud David Regium Vatem decrevit: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Sed *sanguis* tertia sui corporis pars, ut inquit Angelicus Magister *nostræ Redemptionis est pretium.* Fundatus nimirum in cœlesti suo Theologo Joanne Evangelista, qui in sua Apocalypsi viginti quatuor seniores ante thronum Dei & Agni concinere vidit, & audivit novum illud canticum: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire*

3. part. quæst. 48. art. 5.

Ad Philip. cap. 2. v. 6.

Joan. cap. 19. v. 36.

Psal. 15. v. 10.

S. Thomas ibid.

Apocal. 5.

rire signacula ejus : quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo. Quod in alio loco idem Angelicus Doctor ratificat dicens : *Corpus namque suum pro nostra reconciliatione in ara crucis hostiam obtulit Deo Patri : Sanguinem suum fudit in pretium, simul & lavacrum : ut redempti à miserabili servitute, à peccatis omnibus mundaremur.* Angelico Doctori S. Epiphanius Episcopus in sententia subscribit, cujus hæc sunt verba : *Apertum est ipsius latus, & mysteria sanguinis & aqua pretia Redemptionis facta sunt.* Suffragatur S. Ambrosius, qui nos his cosolatur verbis : *An non summa gloria est, quando tali pretio æstimati sumus, ut sanguine Domini redimeremur ?* Idem docet Agapitus Papa dicens : *Effusio enim justi sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum diaboli vinculum retineret.* Agapito consentit Bonifacius Papa VIII. *in extravaganti, Unigentus, de Pœnitentiis & remissionibus.* S. Leo Papa *serm.* 12. *de Passione.* S. Basilius *in Psal.* 28. S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1. *ad Reginas de recta fide cap. quòd redempti sumus per sanguinem Christi. Et Epistola* 1. *ad Valerium de Verbi incarnatione, quæ est in* 6. *tomo Concilii Ephesini cap.* 7. S. Athanasius *de morte & cruce Domini.* Fulgentius *lib. de incarnatione & gratia.* Et multi alii tam Græcorum quàm Latinorum Sancti Patres in idem consentiunt, nimirum Christum Dominum Redemptorem nostrum tertiam corporis sui partem pretiosum suum sanguinem in redemptionis nostræ lytrum deposuisse : Et hæc est illa perfectissima & absolutissima Charitas Christi Redemptoris nostri, divina planè misericordia, & ideo ut inquit Regius Vates : *Copiosa apud eum Redemptio.*

S. Th. Opusc. 57. — *Epiph. adversùs hæreses lib.* 3. *hæresi* 78. — *S. Ambros. lib. de exhortat. ad Virg.* — *Agapitus Epist.* 1. *ad Anthim.* — *Psal.* 129.

4. Sanctissimæ Trinitatis Religio sanè Christo Redemptore Domino nostro simillima, & propriissimè titulum meretur Redemptricis, in quam meritò B. Pius V. tulit hanc sententiam : *Inter cæteros Urbis & Orbis Ordines juxta Regularia illius Instituta magis in charitate circa spiritualia & temporalia misericordiæ opera ædificata videtur*, nimirum Religio Trinitaria : Hæc enim sibi nihil prorsus de

de eleemosynis Redemptionis assumere potest, imò vi Regulæ *omnes res undecunque licitè veniant, in tres partes dividantur æquales ::: Tertia verò pars reservetur ad Redemptionem Captivorum :::* & paulò infrà: *licèt specialiter & propriè detur ad aliquid, semper tertia pars separetur.* Ita 2dum & quidem strictissimæ obligationis caput nostræ sacræ Regulæ, uti decet tales qui sub ratione strictissima sunt Redemptores. De hac lege tam severè agunt nostræ Constitutiones, quòd onerent conscientias PP. Visitatorum, ut invigilent hujus legis observantiæ: nam ejus transgressio est peccatum mortale; ita enim Generale Capitulum die 13. Maji Anno Domini 1623. in nostro Conventu Toletano celebratum Sess. 24. decrevit: hoc pariter sacra Regularium Congregatio Romæ die 25. Junii Anno 1627. declaravit, cujus authentica declaratio teste N. P. Raphaële in Generali Archivo nostri Conventûs Madritensis conservatur.

Constit. cap. 2. §. 1.

Lib. de Redempt. cap. 11. num. 144.

5. Ad hanc tertiæ partis separationem uti omnes nostri obligantur Religiosi, ità & omnes veri secundùm Christi exemplum Redemptores; & licèt non omnes Asiam, Africam, & transmarinas adeant terras, ut Captivos redimant, inter claustrales tamen parietes, dum tertiam partem de necessario adhuc victu ore suo quilibet subtrahit, perpetuis abstinentiis, tot jejuniis, quibus solùm tot ac tanti nutriuntur Redemptores, Captivis in Asia, Africa, imò in ultimis terræ finibus succurrunt, eosdemque redimunt & alunt; secundùm illud quod quondam S. Leo Magnus consulit: *Fiat refectio pauperis abstinentia jejunantis.*

Serm. de Jejuneo.

6. Omnes Redemptores, dum strictissimâ paupertate omnibus rebus & rerum affectu privati in egestate & necessitate ingenti Captivorum sunt solatio & subsidio, ad exemplum Christi nostri Redemptoris dicente Apostolo: *Ut illius inopiâ vos divites essetis.* Omnes demùm Redemptores suis continuis orationibus, quas die noctuque fundunt, suis quotidianis pœnitentiis & meritoriis operibus, quibus ardenter & incessanter apud Sanctissimam

2. ad Corinth. c. 8.

mam Trinitatem intercedunt (ex corde etiam sanguinem fundere parati) ut fideles Captivi in sola salvifica Christi fide constanter perseverent, & quantocitiùs reducti in patriam veræ Christi Ecclesiæ aggregentur.

CAPUT XII.

De vario Modo, & Praxi, quo Redemptio Captivorum exercetur.

1. UTi omnia suis definiuntur limitibus, ità & omnia suis decernuntur consistuntque modis, quæ non ultima rerum perfectio est; quare discretissimè Poëta:

> *Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*
> *Quos ultro citròque nequit consistere rectum.*

Non unum, quo Redemptio Captivorum exercetur, invenio modum, alius est enim ordinarius, alius est extraordinarius. Ordinarius modus est, qui omnium retro sæculorum & gentium communi & ordinario praxi est receptus. Hic sub duplici est differentia. Prima est dum pretio soluto & lytro quis à vinculis redimitur, & in libertatem asseritur. Secunda est, quo quis commutatione libertatem suam assequitur: dum nimirum infidelis datur, & fidelis recipitur; infidelis tamen talis sit in quo exigua vel nulla conversionis spes affulgeat, itaque rationabilis debet esse commutatio. Hæc utraque modi ordinarii differentia passim est in usu, atque à nostra sacra Regula suadetur, nimirum: *Dato pretio pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione paganorum captivorum, ut posteà rationabili commutatione, & bonâ fide redimatur Christianus pro Pagano secundùm merita & statum personarum.*

Regula cap. 2. Omnes res.

2. Est etiam modus evadendi captivitatem (ut nihil prætercam) dum quis fugâ suæ consulit libertati; hic modus, si absit vitæ periculum, à natura suadetur.

Etiam

Etiam redimuntur Captivi dum hostis vincitur, dum hostile quoddam Præsidium, in quo Christianorum sunt carceres, expugnatur; licèt rarò per se, sed tantùm per accidens Redemptio Captivorum intendatur. Hi duo posteriores modi licèt inter ordinarios numerari possint, ordinariè tamen absque gravi vitæ periculo vix fieri possunt.

3. Extraordinarius redimendi modus est, qui non adeò communis, sed tantùm necessitate exigente reducitur in praxim; dum nimirum Redemptor aliquem ex Captivis in fide periclitari, ni redimatur, videt, & deficiente lytro seipsum tradit in pignus & obsidem, ut talis Christianus à captivitate liberetur, & continuò in fide perseveret. Hic redimendi modus à sanctis Patribus, & ab omnibus penè Ecclesiæ Doctoribus summis & innumeris propè extollitur laudibus atque encomiis: & profectò actus est heroicus, & perfectissimæ Christianæ Charitatis ad ipsum Christi Redemptoris nostri vivum exemplum, qui seipsum in manus adversariorum tradidit, ut nos à potestate gehennæ eximeret, ligatus funibus & catenis, ut nos à peccatorum vinculis liberaret, mortuus est in Cruce, ut nos viveremus in Cœlo.

CAPUT XIII.

Reprobatur arbitrium cujusdam Politici circa modum redimendi Captivos: cæterisque objectionibus respondetur.

1. Nihil est tam sanctum, nihil tam sublime, quo non vel ob procacitatem linguæ Thersites aliquis, vel ob invidiam Zoilus quidam pertingat, & corrupto arrodat detractionis dente; hic mundi stilus est, ut nihil intactum maneat, dummodo malitia vel ignorantia sub bonæ intentionis velamine palliata transeat: sed experientiâ magistrâ, proximus est error atque perversitas, præcipuè dum sacra judicant profani; dum rebus ecclesiasticis

In Theolog. Regulari tom. 1. disp. 38. num. 350.

clesiasticis se perversè commiscent Politici, ***qui existimant tunc bene in politicis philosophari*** (ut sapientissimus inquit Joannes Caramuel) ***cùm vel Ecclesiam totam invertunt, vel saltem subruunt Ordines religiosos.***

2. Guilielmus Garret natione Valentianus, conditione Capitaneus anno Domini 1626. nescio, quo indiscreto incensus fervore an furore? Regio consilio in Hispaniis supplicem quondam tradidit libellum, in quo proposuit, ut cum eleemosynis Redemptionis ad portus marinos versus Africam sex navium classis erigeretur, quæ defenderet portus marinos, ejusque incolas & navigantes tutaretur à Piratis. Rationes quas prætendebat Garret fuerunt: quia sic classis illa erit continua & præservativa Redemptio medio, quo finis & Institutum redemptionis meliùs adimplebitur: prætereà Catholicis è regnis pro redemptione tanta pecuniarum summa non exibit, neque intantum nostrorum inimicorum divitiæ cumulabuntur: porro occasio captivandi Christianos sublata erit Barbaris, & porta, quam ad pecunias & eleemosynas Redemptionis habent, claudetur. Sacris verò Ordinibus Sanctissimæ Trinitatis, & B. V. Mariæ de Mercede, dictæ classis gubernium committi potest, ut quilibet horum suo tempore alternativè propriis cum Insignibus militet, & supremum in eandem exerceat Dominium constituendo Officiales, Expenditores, Curatores, &c. de quibus rationes expensarum percipiant.

3. Famâ divulgabatur hoc arbitrium, ejusque apparentia quorundam rapuit opinionem, quod frequenter fieri solet iis, qui externis inhærent, nec inspiciunt, quòd sub imagine veri & honesti sæpiùs mendacia lateant, nam detractâ larvâ compertum est, quod nemo non vidit, arbitrium hoc contra omnium gentium consensum, contra tot sæculorum praxim, contra Doctrinam sanctorum Patrum, contra summorum Pontificum dispositiones, in sacri nostri Instituti Redemptionis præjudicium, Captivis Christianis in detrimentum, & quid, vanum & planè ratio-

ne

ne dissonum esse. N. Ven. P. Gabriel ab Assumptione pro tempore illo nostri sacri Discalceati Ordinis Major ac Generalis Minister, Vir magnorum talentorum Zelo, Doctrinâ, & vitæ Sanctitate clarus, olim expertissimus Redemptor, cujus vitam exhibet nostra Chronica, principaliter huic arbitrio se opposuit, quem secuti sunt V. N. P. Simon de Roxas sanctâ conversatione illustris, de cujus Beatificatione apud Sedem Apostolicam nunc agitur; N. P. Didacus à Jesu; & recenter N. P. Raphael à S. Joanne, innumerique alii, tam ex nostro, quàm aliis Ordinibus, qui tam adæquatè, taliqe efficaciâ huic Politico responderunt, quòd tota hæc imaginaria classis gravium rationum pondere pressa, naufragium passa, evanuerit. *Chron. 1. part. lib. 3. cap. 4.*

4. Jam resipuit Guilielmus Garret, jam hunc suum retractavit assensum, correxit errorem, palinodiam cecinit, veniam meruit; quem in bona pace relinquere mihi consultum fuisset, si defuissent nonnulli, qui arbitrium Garret reliquissent sepultum, quod cùm his temporibus, in quibus ut Evangelista loquitur, *abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum*, noviter moveatur, ut tam excellens misericordiæ opus imperitè satis ac impudenter calumniando infectetur, rursum ad breviter respondendum evocârunt. *Matt. cap. 24. v. 12.*

5. Quid igitur est, quod intendebat Garret, ut cum Redemptione hac imaginaria, quam continuam & & præservativam vult, Institutum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis perfectiùs adimpleretur? Nunquid hæc cum sex navium classi aliquem sortiretur effectum? Vel quàm diù subsisteret? Cùm Redemptio non habeat eleemosynas determinatas vel permanentes, sed tantùm illas, quas à devotis & piis Fidelibus magno labore colligunt Religiosi, hunc in finem, ut Christianos captivos ab infidelium potestate, corporis & animæ periculis, ab inimicis nostræ fidei eruant & redimant, de quibus eleemosynis nihil sibi adhuc in maxima necessitate sub peccato mortali (ut suprà dictum) reservare possunt, imò de illis quæ dantur ad propriam sustentationem, tertiam

partem ſtricto præcepto pro Captivis ſeparare tenentur: Et hæ eleemoſynæ in naves, in malum, in funes & remigia in milites & Officiales impenderentur? Profectò, uti hæc mala intentionis eſſet executio, ità & peſſima pecuniarum Redemptionis foret adminiſtratio; optatuſne exindè ſperandus ſucceſſus? quem vix quis expectaverit.

6. Suo irreparabili damno, quod ſerò didicit, & nos ſeriò docuit Sebaſtianus Rex Luſitaniæ, audire libeat: Hic anno Domini 1578. laudabili quidem Zelo propagationis Chriſtiani Nominis per Africam, ſed contra prudens Philippi II. Hiſpaniarum Regis ſui Conſobrini conſilium, juvenili impetu expeditionem contra Molucum Africanum ſuſcepit, ſuam cum Muley Melech Regis Fez & Maurochii (quem tunc protegebat) potentia conjunxit potentiam: neque hic ſubſtitit Sebaſtianus Rex, in mentem venit, N. P. Rochum à Spiritu ſancto Zeutæ cum quibuſdam pecuniis exiſtere, & Redemptionem parere, Rex perpendit negocium, utitur occaſione, & intra ſe hoc agit conſilium: hunc exercitum non minùs ad proſternendas Maurorum vires, quàm ad Captivorum rumpenda vincula comparatum eſſe, conveniens ergo videri, ut pecunia Redemptionis pariter in hoc bellum ſerviat, quod tantum toti profuturum Chriſtianitati cognoſcitur; Neque Redemptionis intentum fruſtrari Rex exiſtimat; nam taliter, ſi vicerit, multò plures Chriſtiani à miſeranda ſervitute liberabuntur, quàm ſi parato lytro exſolverentur: Rex itaque Zeutam ſcribit P. Rocho ut ſibi mox pecunias redemptionis tranſmittat; quod & obtinuit: ſed P. Rochus ut infelicem eventum in ſpiritu prævidit & prædixit, ita & res ſucceſſit, nam die 4 Auguſti Anni ſupradicti cruentiſſimum fervet prœlium, tres Reges pereunt, Muley Rex Maurochii & Fez ab hoſtibus in fugam actus, & diù perſecutus ſubmerſus eſt in fluvio; Rex Sebaſtianus Luſitaniæ cecidit in prœlio, neque ampliùs inventus eſt; Molucus verò infirmitate eâdem die periit, cui poſtmodum ejus Frater Hamet ſucceſſit. Tales ſperandi ſunt eventus dum ſacra,

Bernardinus à S. Ant. Epitom. Redempt. lib. 2. cap. 8.

cra, & facultates pauperum prophanis adhibentur usibus.

7. Verùm, quod apud omnes in confesso est, si taliter hæ eleemosynæ applicandæ forent, neque Christi fideles in hunc finem tam libenter & liberaliter darent, neque Religiosi tam diligenter colligerent illas; nam hoc potiùs esset destructivum quàm perfectivum sacri nostri Instituti, quia institutus est Ordo ab Innocentio III. Summo Pontifice, ut ejusdem verbis utar: *Ad Redemptionem Captivorum, qui sunt incarcerati pro fide Christi à Paganis*, non verò, ut Ordo Regularis & Monasticus militet in mari, ut volebant: sunt alii quibus illa incumbat provincia. *Innoc. III. Constit. apud Cherub.*

8. Sed defactò in Redemptione Captivorum Catholicis è regnis multæ exeunt pecuniæ, quibus divitiæ nostrorum inimicorum in nervum belli applicandæ cumulantur: Hic est multorum cum Garret *lapis offensionis & petra scandali.* Sed amabo; qui ista ægrè fers & conquereris, si tu ipse sub dira infidelium servitute & captivitatis jugo ingemisceres, contradiceresne? quòd aliquis ex pura Christiana dilectione velit venire, ut pro tua redemptione lytrum deponat: nisi mentis inops & delirus sis, non credam; quin si quis tale consilium daret, hunc severè reprehenderes; ergo *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Principium est naturale, & per se notum. Sed quàm nullum sit illud inconveniens, quod ex Redemptione oritur, adverte: si vas, licèt satis grande (obviâ utar paritate) hoc plenum aquâ de fluvio transferatur in fluvium, quantulum hic minuitur, & ille augetur? defluit & refluit unda, nec sentitur, nec advertitur: pari ratione; quod detrimentum vel augmentum pecuniarum unquam animadversum est, quod causavit Redemptio? Eleemosyna est, quæ naturâ suâ magna non est; & licèt Catholicis è regnis ad inimicas regiones aliqua transferatur pecunia; quid inde; in forma circulari cuditur pecunia, quia nullo in loco diù consistere potest, de manu volvitur in manum, totum circuit orbem. Pecuniam, quàm Redemptores in Christianorum expendunt liberationem, eandem forsan Turcæ, ut sibi suis provideant necessitatibus, tra- *Petr. Ep. 1. cap. 2.*

dent Mercatoribus Christianis, quorum numero multi sunt, qui regiones in illas sua dirigunt mercimonia.

9. Sed concedamus casum, quòd eadem pecunia applicetur in nervum belli, & inde numerus nostrorum inimicorum confortetur: quid causa mali? Semper barbari & numero & apparatu nostris fortiores fuêre; quid inde? fors per hoc vincent? nequaquam; sed ea nostris cedent in spolia. Nunquid Deus, qui elicit de malo bonum, eliciet de bono malum? & nostra bona opera puniet, qui prœmiat illa? à Christiana mente apagesis talis dementia. Spiritûs Sancti apud D. Paulum infallibilis est veritas: *Dilectio proximi malum non operatur*, tunc nulla nos subjiciet adversitas, dum nulla nobis dominabitur iniquitas. *Nostris peccatis* (verba sunt Magni Doctoris S. Hieronymi) *barbari sunt fortes, nostris vitiis Romanus superatur exercitus:* Nostris peccatis olim Atila Rex Hunorum, & Tamerlanes Rex Scytharum, quorum unus se *flagellum Dei*, alter *iram Dei* se vocitavit, uterque Orbis vastitas atque calamitas, tot in Europa diruit mœnia, excidit Urbes, vastavit regiones, & nationes subjugavit. Si vita nostra iram sive flagellum Dei, si peccata nostra castigationem merentur, quis potenti manu Omnipotentis Dei resistet? Quare verissimè etsi Gentilis cecinit Claudianus:

Ad Rom. cap. 13.

Erigite immanes scopulos, sustollite turres,
Cingite vos fluviis, vastas opponite silvas,
Garganum Alpinis, Apeniumque nivosum
Permixtis sociate jugis, & rupibus Hemum
Addite caucaseis, imponite Pelion Ossa,
Non dabitis murum sceleri.

1. Petr. Epist. Cap. 4. v. 8.

Sola charitas, ut ait D. Petrus, *operit multitudinem peccatorum.* Charitatis & misericordiæ præstemus opera, veros non esse Christianos probemus, Christo placeamus; & non est cur inimicorum nos terreat impetus, quia ut suos animat Judas Machabæus fortissimus Dux & Heros: *Facilè est*, inquit, *concludi multos in manu paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, & in*

in paucis: quoniam non in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cælo fortitudo est.

10. Heu! miseret, pudétve dicere tam vehementer multis infixos esse divitiarum affectus, tot pecuniam mentis excæcasse oculos, ut malè videant, invideantque, quòd anima pretioso Christi sanguine redempta à damnosa Tartarorum servitute modico redimatur argento, cùm tamen plurimi sint, qui tartareo infernalique hosti animam suam pro vili vendant usura, vel potiùs pro injusto lucello irrecuperabili perdant damno; quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Certò nesciunt hi æstimare animam, cujus pretium ex aureo D. Chrysostomi ore intellige, qui plùs quàm aurum locutus est, dum dixit: *Nihil est quod animæ possit æquari, nec universus mundus.* Ita & in unum omnes consentiunt Sancti Patres. SS. Ambrosius, Augustinus, Cyprianus Cæsarius, & plures alii, omnia sua imò & calices & patenas, thuribula, vasa, & ornamenta Ecclesiarum, ut Captivos redimerent, in unum conflari pretium non dubitârunt, quod & laudabiliter præstiterunt, cæterisque Christi fidelibus verbo & exemplo commendârunt. Hanc pietatem ad nostra usque tempora multos apud Principes tam sæculares quàm Ecclesiasticos continuari videmus, qui ingentes pecuniarum quantitates in Barbaras nationes pro Redemptione Christianorum quàm liberalissimè effundunt, pro qua pietate ab universi generis humani Redemptore Christo omni benedictione & gratiâ tam in spiritualibus quàm temporalibus irrigati felicissimè florent, & diutissimè florebunt.

Homil. 3. in Actus Apost.

11. Econtra verò, ut quosdam S. Jacobus proscribit: *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Quod luculenter satis de Mauritio Græcorum Imperatore tragica declarat historia, quam Nicephorus, Calixtus, & Joannes Cuspinianus enarrant: nam cùm Chaganus Rex barbarus Hunorum militari violentiâ Macedoniam irrupisset, duodecim millia hominum in captivam redegit servitutem; tandem Rex barbarus tantâ pertæsus ipse

Epist. cap. 2. v. 13. Nicephorus in Ecclesiast. hist. lib. 18. cap. 38. Cuspin. in Mauritiû.

ipse multitudine, Imperatori pro duobus aureis nummis quemlibet subditorum Macedonum liberum obtulit, imò jam uno contentus Rex, uti testis est Cuspinianus, sed non obtinuit Chaganus, ut Mauritius Imperator in tam exiguum consentiret redemptionis lytrum, in furorem igitur actus omnes miserabiliter vel decollavit, vel in frusta secuit Captivos, suasque in terras remeavit scandalizatus. Paulò pòst in cruce pendentis Christi Redemptoris imago Constantinopoli publicè prostans quantum Imperatoris delictum clarè manifestavit, quin evidenter vocem emisit, Mauritium, ejus admissi pœnas luiturum: vocem mox secuta est divina Nemesis, & primò quidem militibus subditisque exosus factus Imperator, tandem factâ conspiratione à Phoca Tyranno, qui eidem successit in Imperio, unà cum tota prosapia sua crudeliter trucidatus fuit, cùm Phocas primùm in conspectu ejus, ad majorem doloris & amoris exacerbationem filios duos totam successionis spem, deinde tres filias, postea Constantinam Augustam Consortem necari jussisset. Horrendum Mauritio spectaculum, demùm ipse eidem fatali gladio caput magna cum resignatione submisit exclamans: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et ità cum incredibili magnitudine inimico suo vitam litavit & imperium; solùm in hoc felix, quòd in vita hac castigatione sibi ad cœlum scalam parare noverit, licèt absque comparatione multò egisset meliùs, si eandem gloriosiùs pecuniâ paràsset redimendo Captivos fidos suos & subditos, quorum innocens sanguis de cœlo vindictam vocavit.

12. Jam ut me & Guilielmum Garret citiùs expediam, porro inquit ille: Hàc militari classi occasio captivandi Christianos Barbaris erit sublata. Quàm bonum hoc si verum, si classis illa sex navium invincibilis foret, si totum Oceanum, quâ latè patet, à Piratis Arabibus, Mauris, Saracenis, & Turcis defendere posset. Sed quàm hoc impossibile? Demus igitur, quòd talis classis existat, & tamen stante hâc classi captivari Christianos, haud quis negare poterit, neque suis classis hæc omnigenam

genam securitatem promittere potest, quæ continuis periculis, uti invigilaret, ità & esset exposita : quis verò tunc inveniretur, qui hos redimeret, eleemosynæ Redemptionis vix sufficerent in milites, qui paucos ne captiventur tutari, defendere, & præservare possunt, omnibus verò & plurimis in servitutem adductis, & mancipatis Christianis spem redemptionis, & toties desideratæ libertatis penitùs præscindunt. Hæc Redemptio præservativa esset potiùs custodia perseverativa, quæ omnes Christianos inter barbaros in perpetua servitute, in vinculis, sub jugo, in gravissimis animæ corporisque periculis servaret. Talis classis mergatur in abyssum maris.

13. Jam tacuisse hac de re mihi consultum erat, verùm non finit ingratitudo quorundam, paucorum licèt, qui retribuunt mala pro bonis. Et adhuc tacendum & surdâ aure pertranseundum, quia suo quisque arguitur vitio, & virtus à se ipsa commendabilis est; sed ut obediam, pauca referam, quia ingratitudinem retulisse, ingratis respondisse sat est. Et quidem Anno Domini 1700. Constantinopoli, vicinisque in locis, copiosa facta est Redemptio quadringentorum quadraginta quinque Hominum; horum quidam pro Turcis commutati, quidam à Magno Sultano dono missi, & quidam pretio redempti sunt: inter hos, & in tanto numero licèt pauci culpati, plurium tamen improperiorum causa extiterunt, nam quidam qui de numero eorum erant, qui (ut dixi) nullâ redempti sunt pecuniâ, sed liberè ex aula Sultani dimissi, inter hos quidam erant, qui in via barbaris adhuc & insolentibus planè moribus multis molesti, nec ullis modis compesci potuêre, dum dabatur ab incolis locorum, quod justum erat, non contenti, plura indignis extorquebant modis, in quibus scandalizati plurimi culpam in sacram nostram Religionem, improperia & querelas in Religiosos, Calumnias in sacrum nostrum Institutum, immeritò tamen, refuderunt; quod cum dolore cordis plus semel expertus ipse. Profectò cum rubore & confusione laudare cogor Turcas, quos

P. Re-

P. Redemptor pro commutandis Chriſtianis Conſtantinopolim reduxerat, plus centum perſonæ, viri, fœminæque, quos licèt in ſua ſecta pertinaces cognoviſſem, obſervavi tamen in eis magnam compoſitionem, modeſtiam, & pacem, quam toto licet longo itinere continuâſſe tantum recognoſcentes beneficium Chriſtianorum, teſtes ſunt Patriarcha Antiochenus cum ſuis Clericis, aliqui Religioſi Miſſionarii Ordinis S. Franciſci, & ſupramentionatus N. P. Redemptor, qui curam illorum geſſit: hi omnes in una ſocietate nihil offenſionis à Turcis paſſi fuêre.

14. Et modica ſint iſta, perveniunt Viennam, ſolennes Sanctiſſimæ Trinitati aguntur gratiæ, quòd tot in ſolitudine errantes oves è faucibus infidelium luporum eripuerit, & ad unicè ſalvificum Chriſti Ovile, Eccleſiam reduxerit, prætereà in Myſteriis Fidei inſtruuntur, catechiſantur, ad Sacroſanctum Pœnitentiæ Sacramentum admonentur, ad Indulgentias plenarias omnium ſuorum peccatorum, quas Paulus V. Summus Pontifex redemptis Chriſtianis conceſſit, & eaſdem Innocentius XI. denuò confirmavit, invitantur; qui ſenes, infirmi, & ad labores inhabiles in hoſpitalibus accommodantur; qui juvenes & ſani, ut vel ad propria reverti, vel alio ſe honeſtè alere pro ſtatu ſuo queant, condigno Viatico inſtruuntur; omnibus denique providetur. Plurimi præcipuè ex illis, qui à triremibus à duriſſima Mahometanorum tyrannide numerato lytro ſunt emancipati, infinitas pro tantis beneficiis agunt Deo gratias. Sed proh dolor! aliqui perditiſſimæ conſcientiæ homines, qui barbarorum olim ſervierunt impuritatibus, præteritis indurati peccatis his omnibus emoliri, moverique nequeunt.

S. Ambroſius lib. 2. de Offic. cap. 28.

15. Interrogavit quondam S. Ambroſius: *Quis autem eſt tam durus, immitis, & ferreus, cui diſpliceat, quòd homo redimatur à morte, fæmina ab impuritatibus Barbarorum, quæ graviores morte ſunt, adoleſcentuli, parvuli, vel infantes ab Idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur.*

tur. Cui respondere possem cum Moese Populi Israeliti- *Num.* 21.
ci Redemptore: Populus hic duræ cervicis *locutus contra Deum & Moesem ait*: *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut* *Exodi* 16.
moreremur in Deserto: *deest Panis, non sunt Aqua*: *anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo, utinam mortui essemus in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium,* *Num.* 14.
& comedebamus panem in saturitate, nonne melius est reverti in Ægyptum? Dixeruntque alter ad alterum: *constituamus nobis Ducem, & revertamur in Ægyptum.* Sic in paucis suæ redemptioni cum ingrato populo Israelitico quædam maledicebant, & in publico quidem, suis cupiditatibus adhuc captiva diaboli mancipia; imò quasdam ferunt, ô scandalum! quod dolet animus, horret stilus, ut pristinas suas requirerent impuritates, & barbarorum abominationes, reditum tentâsse, sed à Magistratu severè coërcitos non obtinuisse.

16. Est & alia contra Sacrum nostrum Institutum objectio, nimirum: per Redemptionem Regna mendicis cumulari, & molestari. Et hæc immisericors, & minùs Christiana est objectio Euclionum illorum, qui se jam depauperari formidant, dum pauperem ad ostia vident: animadvertant ergo hi, nullatenus per Redemptionem, mendicorum introductionem intendi; nam si sani sunt, & juvenes, labore manuum suarum se sustentare poterunt, quod & fieri videmus; si infirmi, senes, vel debiles sunt, Ordo, ut experientia jam satis docuit, de illis providebit: & si in hospitalibus cum aliis pauperibus accommodantur & curantur, faveant illis quæso modicum hoc, quia plus hi merentur, qui in obsequio Christianitatis, & Reipublicæ ab infidelibus capti, & tandem, multis propterea perpessis ærumnis, in fide constanter perseverârunt, tandem ex speciali Dei gratia, ut saltem pro temporali suæ constantiæ præmio inter Catholicos mori liceret, à Sanctissima Trinitate redempti sunt.

17. Hæc & plura sunt, quibus sacerrimum Redemptionis Institutum arietatur; sanè tot ad ictus non

tantùm gemitus Captivorum, verùm & Patrum nostrorum Redemptorum subjungi possent, meritò deplorare possem, quòd ex Captivorum Redemptione nullum sit nobis interesse temporale, imò de modicis illis Eleemosynis, quæ ad nostram tribuuntur sustentationem, tertiam partem pro Captivis separamus indefectibiliter: deplorare possem multa, quæ patiuntur Redemptores in negocio Redemptionis, dum longa, ignota, & periculosa itinera, in frigore, æstu, fame, & siti barbaras inter gentes perficiunt, curam & solicitudinem, dum tractant cum perfidis Infidelibus, ne ab iisdem decipiantur, ne spolientur, & alia, quæ ut taceam, millena incommoda: & pro his deploranda hæc retributio. Sed ut cum magnanimo Apostolo nos consolemur: *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus: blasphemamur & obsecramus.* Opponat se quicunque voluerit, quicunque valuerit, Redemptores de statione non movebimur; probè scientes quòd indigna perpeti, & tollerari gravia, proprium sit Redemptorum, secundùm exemplar nostri omnium Redemptoris Christi, qui dum opus Redemptionis in Cruce perficeret, consumatusque esset Redemptor majores dolores perpessus est insuper, & plura improperia excepit. Cum Redemptoris ergo mundi sit tota meæ Redemptricis Religionis Apologia: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Epist. 1. ad Corinth. cap. 4.

Lucæ cap. 23.

CAPUT XIV.

De Miseriis, & Calamitatibus Christianorum Captivorum.

1. Miseriis, & calamitatibus quibuscum conflictentur Christiani Captivi æquare verba; esse perquàm arduum atque difficile plùs nimiùm claret, *Nihil enim*, inquit Seneca, *est difficilius quam gravi dolori paria verba invenire.* Proindè cùm par afflictionibus, & ærumnis deficiat verborum energia, mens debitæ

Seneca de consolat. ad Polybium cap. 22.

bitæ compassionis Magistra sit, prout bene Divus Apostolus Paulus ad Hebræos scribens consulit: *Mementote vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium tanquam & ipsi in corpore morantes.* cap. 13. Verùm enim verò ejusdem corporis omnes Christiani sumus membra sub uno Capite Christo: si quod membrum patienti membro non compatitur, vel insensibile, vel mortuum, vel prorsus abjectum est: dilectio proximi, nostræ salutis & vitæ probatio est; sanum membrum verus Christianus à Christo Redemptore, & Capite nostro suos habet derivatos dilectionis influxus, atque cum aliis hujus corporis membris hos non tam communicat, quàm participat.

2. Hæc est causa, illa est dilectionis Origo, quâ S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus se adeò vehementer erga Christianos Captivos affici sentiebat, quos affectus & aliis communicare modis omnibus incitabatur; quare in Epistola ad Januarium hæc tam charitativè quàm compassivè perscribit dicens: *Cum maximo animi gemitu, & non sine lachrymis legimus literas vestras, Fratres Charissimi, quas ad nos pro dilectionis vestræ solicitudine de Fratrum nostrorum, & Sororum captivitate fecistis. Quis enim non doleat in ejusmodi casibus? aut quis non dolorem Fratris sui suum proprium computet? cùm loquatur Apostolus, & dicat, si patitur unum membrum; compatiuntur & cætera membra; si lætatur membrum unum, collætantur & cætera membra; & in alio loco, quis infirmatur, inquit & ego non infirmor? Quare nunc & nobis Captivitas Fratrum nostra Captivitas computanda est, & periclitantium dolor, pro nostro dolore numerandus est, cùm sit scilicet adunationis nostræ Corpus unum, & non tantùm dilectio, sed & religio instigare nos debet, & confortare ad Fratrum membra redimenda.* Hactenus S. Cyprianus. S. Cyprianus Epist. 60.

3. Et meritò quidem, gravissima sunt enim Christianorum in dira infidelium servitute Corporis, & animæ pericula, si per nostram negligentiam, si per nostram immisericordem incuriam hi pereunt, ut de Christi membris Deo rationem reddituri sumus; sanè nobis

 uc

ut S. Cyprianus nobis imprimit, *Captivitas Fratrum nostra Captivitas computanda est, & periclitantium dolor pro nostro dolore numerandus est, cùm sit scilicet adunationis nostræ Corpus unum. Mementote ergo vinctorum tanquam simul vincti, & laborantium tanquam ipsi in corpore morantes.* Verba sunt Apostoli; sit nobis cordi, quod nobis de miserabili, & afflicta Captivorum sorte multi & graves passim tradunt Scriptores, & nominatim Sebastianus Münsterus *in Cosmographia lib. 4. de Turcis in fine.* Bonfinius *lib. 3. dec. 4. & lib. 7. dec. 2.* Isstuamfius *in Historia Hungarica lib. 26. & 31.* Godefridus *in Archontholegia de Regnis Africa.* Matthias Tanner *in lib. Societatis Jesu Apostolorum imitatrix pag.* 841. Gabriel Gomez de Losada *in Schola laborum lib. 4. per totum.* N. P. Didacus à Jesu *in Chronica N. S. Ordinis part. 1. lib. 1. cap. 25.* Fulgosus, Cuspinianus, Loricerus, Septem Castrensis, Vidondo, & innumeri alii.

4. Verùm neque opus est pervolvere libros, & consulere mortuos, viva habemus testimonia illorum, qui per Redemptiones miseram hanc evaserunt sortem; quorum relationibus cùm sæpiùs intendissem, innumeras & inexplicabiles Captivorum ærumnas esse intellexi, quarum sine maximo cordis dolore, & compassione meminisse vix est possibile: & nostræ ætatis recens est adhuc memoria illarum crudelitatum, quas proximis temporibus Turcæ Tartarique Christiani nominis jurati hostes in Austria, & Hungaria exercuêre; multa enim millia absque conditionis vel sexûs discrimine, quos hostilis gladius non absumpsit, in longam & miserabilem mortem catenis strinxerunt, & patriis Laribus ut pecora abactos diversis Barbarorum nationibus divendiderunt; est enim illorum Mangonum Christiano sanguine frequentissima nundinatio, unde semper exercitum Turcarum ingens comitatur talium prædatorum numerus, qui plurimùm Captivandis Christianis intendunt: Hi, quos illi ex insidiis circumveniunt, vel agmine obruunt, omnes ærumnas experiri coguntur, etenim vestibus fermè

mè omnibus quamprimum ſpoliantur, & ſeminudi in longiſſimas catenas, ex qua plurimæ manicæ compedesque dependent, quinquageni, & facilè ſexageni per ſeriem colligantur, his in Turciam abducendis duo vel tres Agazones equeſtres, & armati præficiuntur, in itinere procedentibus concatenatis fortioribus ſuas manticas & ſarcinas portandas imponunt. Si quiſquam ægrotaverit, cujuſcunque conditionis, ætatis, formæ, vel artis ſit, procedere unà cæteris cogitur; ſi non procedat, abſque miſericordia flagris inhorrendum cæditur; ſi prorſus ire nequeat, à barbaris immediatè occiditur, vel in proximo fluvio ſubmergitur; ſi verò ſpem queſtûs ſui de eo concipiunt, jumento imponitur; ſi ſedere nequiverit, prono corpore alligatur non aliter ac ſarcina vel ſaccus quidam; ſi moriatur, quod multis tot in ærumnis contingit, veſtibus ſpoliatus, & nudus in proximam foveam Lupis, Canibus, aut Vulturibus depaſcendus objicitur.

5. Cæterùm ubi nocti concedendum, cuique partem duri rancidique panis ad prolongandam potiùs, quàm arcendam pallidam famem projiciunt, mox adhuc & pedes eorum atque manus ſtrictiùs ligant, & ſub die ſupinos exponunt, & per totam noctem omnes aëris injurias immobiles tolerari coguntur. Parvulis & Mulieribus humanior eſt conditio, ſed nox illis acerbior, vel enim tenebroſis includuntur ſpeluncis, quas videre eſt horror, vel ab immundiſſimis Mangonibus pudicitiæ vexationem pati debent, nam adeò ſceleratiſſima Gens contra naturam libidine ſævit, ut ſexennis aut ſeptennis ætas utriuſque ſexûs ab abominabili eorum fœditate non ſit immunis: hinc per totam noctem in luctuoſis tenebris vim patientium miſerabilis auditur ploratus, & gemitus.

6. Et hæc inter cætera itineris incommoda, infelix eorum via uſque dum ad conſtitutum perveniant locum, ubi decimus quiſque Imperatori ſeparatur, qui pro cujuſcunque ætate, agilitate, vel viribus decernit,

 ut

ut grandior ætas in agriculturam destinetur, quorum verò major vis ingenii vel corporis ad militiam pertrahuntur, omnibusque militaribus exercitiis instituuntur, priùs tamen omnem intendunt solicitudinem, ut abnegatâ Fide circumcisionem admittant, ut posteà cùm idonei bello fuerint, contra Christianos ferociùs dimicent; & horum quàm plurimi inveniuntur, qui captivitatis oneribus deterriti, & adulteræ libertatis desiderio in Christiani nominis probrum, & perniciem jam, proh perditio! Mahometanam Sectam suscipiunt. Pueri verò, in quibus major gratia formæ gravissimo cum vitæ discrimine, ut nihil in his virile appareat, mutilantur, si natura periculo succumbat? facilis jactura, alios quærunt: si superet? non in aliud incolumes evaserunt, quàm in sceleratissimum libidinis obsequium: senescente tandem pulchritudine, vel ad officia Eunuchorum, aut custodiendis equis, aut mulis, aut culinæ ministeriis deputantur: Puellæ, quæ sunt spectatæ pulchritudinis, in concubinas eliguntur, cæteræ pistrinæ, vel textrinæ adhibentur, vel verò ad officia pedissequarum matronis traduntur, ubi adeò fœda eorum sunt ministeria, ut neque honestè dici queant.

7. Pensis igitur quæ Imperatori decimarum nomine obvenerunt, reliquos inter se dividunt; qui se in prædationibus ad æquales partes conjunxerant, & hos vel in suum usum vel foro vendendos reservant, quo dum venales velut ovium greges pelluntur, conveniunt Mercatores; si placet mancipium, detractis vestibus futuri Domini exponitur oculis, inspiciuntur omnia membra, tentantur, in cursu probantur, explorantur, si quod vitium in articulis aut juncturis inveniatur; si displicet, ad Mangonem rejicitur, toties id passurus, quoties empturiens advenerit: si placet, in gravem abducitur servitutem: Hinc rursus oriuntur gemitus & suspiria, lachrymæ per genas volvuntur eorum frustra quidem & inaniter, qui aliqua sunt juncti necessitudine, dum se vident, nescias quo distrahi: Parens Filium, quem soli-

eitè

citè educavit, videt à barbaro abduci, Filius Parentem alio jam cernit divenditum; Mater super Filiam, Filia super dilectam Matrem plorat, vix se amplius in hac vita visuros ultimum & miserabile dicunt vale, in quo præ dolore vix non disrumpuntur corda, dum se quos una mensa diù aluit in patria, jam se sub diversarum gentium premi vident potestate, hunc Tartarus, hunc Turca trahit, illum Judæus, aut Græcus ducit, alium Arabs, Maurus, aut Ægytius suum habet, omnes miserrima mancipia, quisque sui Tyranni crudelitatem jam jam experitur.

8. Hinc Deum Redemptorem invocant, ignari adhuc cui sorti destinentur, an agasones, bubulci vel opiliones futuri? vel an ad aratrum vel ad triremes acerbius jugum destinandi? vel ultrò & post maria venales sint? incertum in animo miserorum cum timore volvitur: O Deus! ô Redemptor! ô Patria! oh amici! desperata est omnis spes libertatis! sæpissimè enim in remotissimas aguntur regiones, ubi nulla illis redemptionis spes affulgeat, ut proximis annis expertum habemus, nam plures Germani & Hungari in conflictu, in quo Gloriosissimus Heros Generalis Veterani occubuit, in Transilvania capti, anno 1701. à nostris Patribus soluto redemptionis lytro Tuneti in Africa planè nihil minus sperantes redempti sunt; quas hi superavêre calamitates ipsimet recensent.

9. Cœterùm omnium Captivorum referre casus, & calamitates, prorsus impossibile est, quicunque de illis facilè ferre poterit judicium, qui consideraverit, quòd pauperes omni solatio, refugio, vel auxilio destituti, secundùm crudele genium juratorum Christiani nominis hostium vivere debeant, qui pro ratione individuorum & nationum sibi sunt ferociores. Solùm Turcæ, qui in Græcia Europæ terminos accolunt, in Christianos sunt humaniores, dum quia Christianis fugiendi occasio promptior est, dum quia timent & cavent, ne id ipsum captivis Turcis apud Christianos contingat in talionem; quod & ipsi toties faciunt, quoties intelligunt, apud Chri-

Christianos Turcam malè tractari, id decuplo in Christianis Captivis vindicant, cùm tamen fateantur ipsi Turcæ, apud Christianos licèt captivi sint, communiter esse melioris conditionis, quàm si essent in sua patria liberi.

10. Sed exigua hæc Turcarum humanitas, quam fingunt, maxima est erga miseras animas carnificina & crudelitas, nam licèt in secta sua credant errorem, quemque in sua fide salvari, nihilominus tamen, ut minùs sint fugaces, ad Mahumetismum Christianos traducere modis omnibus conantur, matrimonia illis permittunt, imò conciliant, quin verberibus, si recusent, cogunt, præcipuè si artes mechanicas sciunt, quas solùm in pretio habent, libertatem post septem annos permittunt, si diligenter & fideliter servierint, ità tamen ut gravi tributo maneant, & ex omni labore & lucro quarta pars illis jure obveniat, & pro quolibet capite suæ familiæ quotannis aureus unus pendatur; agunt hoc minis, aut sæpè falsis promissis, aut blanditiis, quibus multi decepti abnegatâ fide Christianâ circumcisionem admittunt, in matrimonia consentiunt, conditionem ineunt, & satis habent inter tormina conscientiæ, quòd die noctuque laborent, ut se vel modicis sustentent, & tributa Domino semper plura exigenti solvant, prolesque & totam progeniem ni resipiscant, quod jam difficillimum, ad tartara & perpetuæ gehennæ vincula & tormenta transcribere se plùs nimiùm cognoscunt.

11. Quòd si verò Christiani perseveraverint, proles eorum sunt vernæ, & pro arbitrio Domini pro diversis laboribus distrahuntur; & hoc est, quod plures ab his matrimoniis abhorrere facit: prætereà singulis trienniis & quadrienniis (ut testis est Cuspinianus) Turcæ de mandato Imperatoris peragrant totum Imperium, & quartum filium Christianis rapiunt, eligentes qui melioris sit formæ, & valetudinis, majoris capacitatis; hunc circumcidunt, & militaribus exercitiis educant. Verùm si Parens pius est, qui innocentem filium occultet, vel aliò in

in securitate constituit, si hoc experiantur Turcæ, tam diù torquebitur, usque dum Parens ipse proditor filii sui fiat. Heu qui gemitus, quæ suspiria Parentum! dum filium, quem sanctè in una salvifica fide educârunt, ad Mahometi abominationes & errores trahi, & contra Christianos armari vident in suam & suorum perniciem: ex qua Amurates II. Turcarum Imperator consilium, & occasionem accepit, & ex Christianis, qui tamen Christum abnegaverant, ordinem Peditum (quos Janizaros vocant) instituit; quorum viribus ipse, & qui ipsi in Imperio succesŝêre Sultani, ex innumeris prœliis victores evaserunt, ac penè totum debellârunt Orientem.

12. Porrò si alicui Christiano fit injuria, si Christum calumnientur, tacendum atque ferendum est, si quid minimùm contraloquentem audiunt, etiam invitus circumcidetur; si contra eorum errores, si contra Mahumetum vel quidem hiscas, ignes & incendia parantur. Neque unquam alio nomine dignaberis, quàm cane, infideli, vel pagano. Si quemquam fugacem suspicantur, Tartaris vel Piratis ad triremes minantur vendendum, ubi sub crudeliori servitute difficiliùs fugam moliri queant. Quod tamen sæpius tentant spe libertatis allecti, præcipuè qui sunt in Europa, quorum facilior fuga est, cùm flumina, quæ obicem ponant, facilè enatentur: solent id agere paulò ante messem, ut de die in segetibus latere, & inde victum capere possint; de nocte per avia & devia fugæ consulunt. Qui verò ex Asia fugam moliuntur, Hellespontum inter Calliopolim, & arces illas olim Seston & Abydon, nunc autem Bogazaflar dictas, id est, castella faucium maris: securim & funes secum deferunt, ut ligna cædant, & in ratem colligant, quam noctu inscendunt; si favet aura, tribus vel quatuor horis mare trajiciunt; sin minùs, vel pereunt fluctibus, vel ad Asiæ litora rejiciuntur. Si capiantur, mors quasi certa, pœna enim incendii talibus destinata est, vel suspensis pedibus dirissimè flagellantur, aut abscissis auribus, & naribus stigmata inuruntur pedibus, aut illis plantæ pedum in

M mul-

multos sulcos rescinduntur, quos sale ad majorem doloris exacerbationem inspergunt. Et hæc tota Turcarum fera humanitas, quin potiùs inhumana feritas est.

13. Tartari moribus cultuque corporis fœda Gens, crudeliùs multò in Christianos sæviunt, quia propter eorum continuas excursiones (nam nullo certo loco diù subsistunt, rapinis & populationibus intenti), difficilis valde, vel planè impossibilis est fuga; vivunt ut plurimùm sub rigido aëris temperamento, quare crudelitas & ferocia illis congenita esse videtur. Domicilia eorum sunt subterranea, aliquando etiam lignea & lutea; pane nunquam vescuntur, sed solùm pulmento ex milio & carne equinâ igni pecorum excremento excitato semicrudâ assâ, quam sale conspergunt. Neque utuntur mappis, cochlearibus vel similibus, sed vorant, ut fastidium moveant rationalibus: Potio eorum est aqua melle & cremato confecta, quâ potentissimè inebriantur, & inebriari cogunt præsentes, usque dum omnes velut ratione destituti in terram concidant; Lectulis, aliisque commoditatibus naturæ convenientibus non utuntur. Mulieres eorum non apparent coram hominibus, nisi semel in anno coram Parentibus; unusquisque habet ad minus tres uxores ultra captivas, quas habent, ut concubinas; omnes se jactant milites, omnes nobiles, cùm omnes sint prædones; nulla apud eos invenitur urbanitas, tota eorum humanitas & ceremonia est, manum pectori applicare, vel alterius manum tangere. Nullus judex vel justitia viget inter illos, solùm coram Kam malefactores debent accusari & comparere, qui liberi sunt à mortis sententia, peccent quidquid velint, si non adsit crimen læsæ majestatis. Sunt fallacissimi, dum quid vendunt, quintuplò plus petunt, quàm res valeat, quod experti notârunt nostri Patres Redemptores, suosque Successores tractaturos cum eisdem informant experientiis: Unde qui voluerit aliquid ab ipsis emere, offerat parum, & sinat eos abire, ipsi enim certò & absque cura iterum atque iterum redibunt; & dum offertur eis quod justum vide-

videtur, si non plus apud alium inveniunt, dabunt captivum aut merces. Sed qui emit, bene examinet non tantùm venditorem, sed etiam circumstantes, utrum captivus ille, merces, aut equus pertineat ad illum Tartarum, nec ne? Si asserunt pertinere, appellet circumstantes in testes illius emptionis, ne quis veniat, & jurando rem esse suam, & sibi ablatam asserat; & coram prædictis testibus numeret pecunias, tradens illas primo Mercatori Armeno vel Turcico, ut hic probet illas; aliàs est periculum, quòd redeat cum aliis pecuniis falsis, dicens & perjurans, illas ab emptore accepisse. Posteà necessarium est chirographum habere fidem facientem tales captivos esse in omnimoda libertate, aliàs millies sua verba negabunt, vel interpretabuntur, prout voluerint. Pro illis redemptis captivis quibusdam in locis aliquid solvitur. Postremò necessarium est habere magnam curam cum captivis jam solutis, maximè cum aliis rebus, in ictu enim oculi furantur quidquid possunt.

14. Odium mortale gerunt contra alias nationes, quare captivos quos habent durissimis Gens ipsa pigra adstringunt laboribus, quos si non ad nutum & plenariè præstant, fustuario vendicant, ubi sacerdotum & nobilium, atque eorum, qui duris insueti laboribus miserrima est conditio, nam sæpius inter tot verbera omnibus sensibus destituuntur. Panem toto captivitatis suæ tempore nec vident, minùs gustant, ad alimentum captivorum milium contundunt, cui calidam aquam superfundunt, quod, dum acescit, comedunt multi, neque alium habent victum nisi illum, quem à laboribus serò redeundo, mendicant, qui certè semper vel sordidissimus est vel vilissimus, nisi fortè morticinium canibus projectum inveniant, quod sibi certatim pauperes captivi pro deliciis tollunt. Et quod magis inhumanum, eodem rigore utuntur erga fœminas captivas, licet earum corporibus abutantur, prout volunt, quà suis bestialibus delectationibus satisfaciant; & licet proles ab ipsis suscipiant, non ideo quidquam parcunt matribus, quas nec

M 2 prægnan-

prægnantes nec moribundas à laboribus cessare sinunt.

15. Totâ æstate plurimi captivi usque ad medium corpus & pedibus nudi incedunt, ubi tergora eorum ita ab æstu denigrantur & torrentur, ut per pellis rupturas viva caro appareat, quæ propter continua verbera & flagella, vel in callositatem induruit, vel lacerata hiat: Hiems illis iterum est rigidissima, nam seminudis vix gausape commodant; qua de causa multi frigore pereunt, vel membra ammittunt, sicuti contigit illi quem proximis annis ex Tartaria redemimus, qui propriis manibus sibi pedem abscecare debuit, ex eo quòd ità asserit, & frigore riguerit, ut nullo alio medio curari potuerit.

16. Si quem profugum cæperint, exquisitissimis eum excruciant tormentis; refero quod à fide digna Ecclesiasticæ Authoritatis Persona relatum habeo, quæ ex ejus ore se accepisse affirmat, qui rem oculis usurpavit, utriusque nomen consultò involvo silentio: contigit nimirum, quòd certa negocia ille cum Tartaris pertractanda habuerit, dum ita per vastas illas solitudines cum comitibus pergeret, greges ovium & caprarum offenderunt, quod eos attonitos reddidit, vident Pastorem, qui gregibus præerat, canâ, prolixâ, & incultâ barbâ, altis & caprinis cornibus eminere; subsistunt ad spectrum, putârunt illi, hunc esse quendam ex illis, quos cæca Gentilitas Faunos sive Satyros coluit Deos montium & silvarum. Sed magis obstupuerunt linguâ latinâ cantantem audiunt, & quidem illud, quod Ecclesia in solemnitate Paschali pro sequentiis canit, nimirum *Victimæ Paschali laudes immolent Christiani, agnus redemit oves, &c.* Quid hoc rerum? Animantes se se, magis appropinquant, & sciscitant: quâ Gente, unde, & quis esset? Quos dum miser ille Christianos fortè intellexisset, quos in veste tartarica non cognoverat, altùm suspirans inquit, Christianus sum, & quidem Sacerdos, jam vile mancipium gregibus præsum! Ad inexpectatam responsionem magis expavescere cæperunt astantes. Sed ambigui, quomodo hæc cornua? porrò inquirunt; jam la-

lachrymis respondit: servitutem, & verbera atrocissima mei Domini non ampliùs tolerare poteram, quare fugam molitus, sed interceptus sum, protinus me, ut transfugam hâc ignominiâ notârunt; ex cervice mihi detraxerunt pellem, & immediatè vivo unius anni hirco cum cornibus verticem similiter depositum in calore adhuc meo excoriato vertici certo unguento ita applicârunt & assuerunt, ut jam hæc cornua nunquam absque maximo dolore divellere queam. Inquirentibus an de facto suam desideret redemptionem? reposuit: nolle se fieri spectaculum hominibus, sed in desertis hanc occultare ignominiam, Redemptionem verò animæ ab infelici hoc corpore à Deo in brevi expectare. Inde stipe donatum reliquerunt, & stupore pleni & extasi inceptum prosecuti sunt iter. Quis tam durus? qui hæc oculis videndo totus non inhorrescat? Quis tam ferreus? qui talia patiendo penitùs non emoriatur? Sanè his diù vivere, multipliciter est mori.

17. Si quis demum Captivorum in feram ætatem produxerit annos, venerabilis senectus, quia jam defatigata, & nullis apta laboribus, nullo est in pretio, hinc facilè à Barbaris occiditur, ne locum inutilis occupet, uti nunc proximè contigisset Fœminæ olim Civi Viennensi, post viginti captivitatis annos cæca & senex effecta, nullis laboribus præesse potuit, quam cùm Tartarus ad fluvium submergendam duxisset unico Leonino à nostris redempta est, & Viennam reducta adhuc vivit. Si quis Captivorum domi defungitur, funem collo ligant, & equo pago extrahunt, ibique quomodocunque veniat corpus, insepultum relinquunt, usque dum Vesperi à laboribus redeuntes Captivi à Dominis suis Corpus sepeliendi licentiam obtineant. Multis neque sub tecto locus moriendi conceditur; sed dum vident Christianum quendam, in quo vel ob nimiam senectutem vel morbum sit desperata salus, tunc demùm ejum ejiciunt potiùs, quàm dimittunt, ut defungatur ubicunque vel quomodocunque contigerit.

18. Et hæc magna gratia atque clementia respectu illorum, qui ipsam adhuc miserabilem & infirmam affligunt senectutem. Uti Fulgosus de David Comeno Imperatore Trapezuntio testatum reliquit; huic crudelissimus mos erat Captivos, quorum aut ætate, aut aliam ob rem inutilis videretur servitus futura, grandi palo per anum adacto in terra defixum palum erigere, atque ita quàm diù fieri posset dato cibo alere jussit. Pacta & promissa cavilationibus eludit perfidissima Gens; exemplum est Paulus Hericus (ut scribit Andreathus) qui in Calcide urbe in Eubœa Insula, quæ vulgò Nigropontum dicitur, Prætor erat urbis illius; hic medius per latera dissectus fuit, ideo quòd ei venia esset promissa à Tyranno cavillanti pollicitum se cervici parsurum non lateribus. Scribit Bonfinius Turcas tempore Alberti Regis Hungarorum expugnatâ Sinderoviâ Captivis ære candenti oculos excæcasse. Sisto calamum: quia enumerare multitudinem calamitatum, earumque enarrare magnitudinem, quibus jactentur Christiani captivi, penè utrumque impossibile; novêre hoc illi qui furenti, & sibi ipsi dissimili infidelium sub tyrannide hanc acerbam patiuntur sortem, quam si quis bene perpendat, nec quid acerbius, neque toto hoc misero mundo quid miserius reperiet. Ergo *introëat in conspectu tuo gemitus compeditorum.*

Fulg. Lib. 9. cap. 2.

And. in communi Calcid. excidio Sabell. lib. 8. dec. 3.

Bonf. lib. 2. dec. 4.

Psal. 78. v. 11.

19. Propheta Jeremias dum enumeraret mala, simulque eorum ponderaret gravitatem & magnitudinem, quibus iratus Deus peccata populi summè puniturus est, quatuor hæc mala, quorum unum gradatim ascendendo gravius est alio, enarrat. Nimirum *mortem, gladium, famem, & captivitatem.* Grande malum est equidem mors; sed gladius pejor est morte, quia cum eadem conjunctus; porrò morte & gladio majus malum est fames, quia lenta & molestior est mors, gladiusque omnia membra intrinsecus forinsecusque dilanians; & horum omnium maximum malum est Captivitas, quia mortem, gladium, famem collectivè, & plura alia mala

Jerem. cap. 15.

mala eminenter complectitur Captivitas: nec ultrò; hic plenus Spiritu Divino sistitur Propheta, neque gravius Captivitate malum ira Dei, quod in hoc mundo inveniat, habet.

20. Ex quo vel maximè Redemptionis Captivorum elucescit excellentia, nam ut Captivitas mortem, gladium, famem, nuditatem, frigus, æstum, & cætera corporis animæque tam spiritualia quàm temporalia complectitur incommoda; ità Redemptio his omnibus medetur, & subvenit accommodatissimum remedium. Hoc præterquam quòd clarum sit, Angelici Magistri D. Thomæ Doctrinâ magìs inclarescit, cujus hæc clarissima sunt verba: *Subvenire homini contra quamcunque oppressionem illatam, extrinsecus reducitur ad Redemptionem Captivorum.* *D.Thom. 2. 2. q. 32. art. 3. ad 2.* Quam propositionem Urbanus VIII. Summus Pastor Ecclesiæ, supremumque in terris veritatis Oraculum sequentibus qualificat verbis: *Pium hoc opus*, inquit, *cæteris misericordiæ operibus antecedit, in quo ferè alia omnia, quasi per compendium exercentur.* *In Bulla incip. Salutaribus.* Pium hoc opus, Redemptionis nimirum Institutum, excellentissima misericordia est, quæ Deum placat, iram ejus mitigat, dum culpas hominum captivitate flagellat: vix dum videt Redemptores omnibus viribus nullo allectos interesse, sed solo charitatis ardore inflammatos, omni contempto periculo contendere, ut hi redimantur, quos tales premunt afflictiones; ipse misericordissimus Dominus infinitæ suæ misericordiæ recordatur; justissimum iracundiæ telum temperat, dum oculos in rubram cœruleamque, quam gerimus in pectore Crucem, tanquam in pacis iridem convertit, quæ dum illis afflictis in tot ærumnis exoritur, certum fœderis atque Redemptionis suæ habent signum.

C A-

CAPUT XV.

Proponuntur, & resolvuntur Difficultates aliquæ circa Casus Conscientiæ Captivorum.

1. QUoniam cùm non tantùm corpora, sed, quod dolendum & illachrymandum magis, ipsæ animæ pretiosissimo Christi sanguine redemptæ apud infideles in continuis sint cordis angustiis, crucientur scrupulis, imò sæpe ex desolatione aut certè ex desperatione in maximis versentur æternæ salutis periculis: Theologis gratum atque acceptum fore, omnibusque scire utile judicavi, hoc in loco opportunè proponere casus quosdam morales; atque illorum resolvere difficultates, qui communiter in terris infidelium ad dirigendas Captivorum conscientias offerri solent; qui cùm jam ut plurimùm Romæ à Theologis sint discussi & resoluti, imò à sacra Congregatione Cardinalium de Propaganda Fide decisi, prout hos apud nostrum Eruditissimum P. Raphaëlem à S. Joanne invenio; refero.

De Redempt. cap. ult.

2. Cùm Reverendissimus Pater Franciscus Longobardo Sacri Minimorum Ordinis meritissimus Generalis apud Turcas detineretur. Tuneti, ibique cùm res Ecclesiæ quoad Captivos fideles non parvo versari discrimine fidemque catholicam, conspiceret, Christi ovium miserrimam illam conditionem ac statum cæpit deplorare, atque ingemiscere, Deumque incessanter pro ovibus illis exorare, verbo ac exemplo enitens, ut ad meliorem frugem reducerentur. Hinc die noctuque non destitit in Balneis prædicare, ad Confessiones aliaque Sacramenta frequentanda hortari, & pro Populo Dei tandem Hostiam se quotidie offerens acceptabilem; spiritualibus istis exercitationibus carnis afflictamenta supperaddens, lucrum putabat Captivitatem suam. Hæc Romam delata S. D. Urbanum VIII. compulêre, ut eum cum amplissima potestate Missionarium deligeret, ut

ut autem tutiùs hoc pietatis perageret Munus, prædictus Pater dubia sequentia Romam transmisit Sacræ Congregationi pro opportuna supplicans explanatione, ut ait perdoctus Laurentius de Peyrinis, ex quo ea transcripsit noster Ludovicus à Conceptione, quibus adjecit ipse annotationes quasdam, quas ex ipso transcriptas ad literam referemus infrà post dubia relata & decisa.

DECRETA ET DECISIONES

Congregationis RR. DD. Theologorum super Casibus ad Forum Conscientiæ pertinentibus, propositis à Rev. P. Francisco Longobardo Ordines Minorum Missionario in Africa Tuneti, & ad eosdem Patres Theologos transmissis à Sacra Congregatione Illustrissimorum Cardinalium de P. F. ut constat ex ejus Decreto sub die 7. Aprilis 1629.

3. I. Casus. Utrùm Apostatæ à fide ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicitè & publicè coram Infidelibus cum periculo vitæ, sicut negârunt fidem; an sufficiat coram Fidelibus publicè & explicitè abjurare apostasiam in propriis Balneis (quæ sunt Captivorum carceres) & implicitè apud Infideles, abstinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum?

DECRETUM.

Sacra Congregatio censuit Apostatas à fide, redeuntes ad pœnitentiam omnino debere abjurare Apostasiam coram Fidelibus captivis, quibus dederunt scandalum in propriis carceribus, publicè & explicitè; at coram Infidelibus non videtur hoc necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, depotantque habitum protestativum falsæ Religionis, & curent ut successu temporis cognoscant etiam Infideles, vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem, licèt id cum periculo vitæ.

4. II. Casus. Et circa habitum, si non sit protestativus Religionis cujusmodi est vestis linea, & talaris,

quâ soli Sacerdotes infideles utuntur, sed tantùm discretivus Nationis, quale est operimentum capitis, quod vulgò *Turbante* appellatur. Quæritur utrùm possint eum retinere ad vitandum vitæ periculum, donec nanciscantur idoneam occasionem transfugiendi ad terras Christianorum, ibi Apostasiam abjuraturi?

DECRETUM.

SAcra Congregatio censuit, reversos ad fidem tutâ conscientiâ omnem habitum indistinctè deferre posse Nationis discretivum, dummodo non sit protestativus falsæ Religionis, donec nanciscantur occasionem transfugiendi ad Fideles, nec perindè arcendos à susceptione Sacramentorum, si propositum habent profitendi Fidem, quando juridicè de illa interrogantur.

5. III. Casus. Quomodo se gerere debeat Confessarius erga Apostatas in articulo mortis constitutos, cùm ab illis secretò accersitur, ut secretò absolvat? Ratio difficultatis est, quia in illo articulo solent ab infideli familia vel Sacerdotibus induci ad actus falsæ Religionis, nec possunt abnuere sine mortis periculo.

DECRETUM.

COnfessarius secretò accersitus, secretò absolvat pœnitentes Apostatas in articulo mortis constitutos, & præter Apostasiam coram se abjuratam secretò, & constantem animi præparationem eam abjurandi publicè & explicitè, nihil ampliùs exigat, si superstites fuerint; si verò decesserint, curent cognosci, tum à Fidelibus, quàm ab Infidelibus abjurationem. Actus autem falsæ Religionis, nec elicere possunt nec ostendere, & licèt non possint multos suasores expellere, sufficit interiùs eorum suasionibus non consentire.

6. IV. Casus. Suppono licere Christi Fidelibus captivis, non autem liberis qui hîc sub fide Regia negotiantur, auferre bona, tum Dominorum, tum aliorum infidelium furto, & consequenter usuris, vel quovis alio modo

modo ex tacita & interpretativa facultate Principum Christianorum. Quæritur ergo primò : utrùm ratio sumatur à pœna infidelitatis , an potiùs à jure compensationis ; quia nimirum tyrannicè possident hoc Regnum , quod de jure ad Christianos Principes pertinet. Secundò: utrùm eadem sit ratio de Judæis incolis loci ? Et concessâ parte affirmante , utrùm saltem quoad advenas, qui habentes Domicilium sub regimine Principum fidelium, huc negotiandi gratiâ veniunt, negans pars sit probabilior ?

DECRETUM.

SAcra Congregatio censuit, Christianis liberis, qui sub fide Regia in Africa negotiantur , nullius inviti licere bona surripere , licere verò Captivis non modò Principis Saraceni ex tacita voluntate Principum fidelium, sed adhuc Dominorum particularium , sub quorum violenta servitute detinentur , jure compensationis , pro injuria captivæ libertatis, pro debita laboribus mercede, pro lucro cessante, & damno emergente in suis negociationibus, & boni absentiam à Patria. Quòd si Fideles captivi à stipendiis militaribus Christianorum Principum per Saracenos in servitutem injustam redacti sunt , Sacra Congregatio censuit eos quorumcunque Infidelium indistinctè tutâ conscientiâ posse bona auferre, sub quacunque via, atque industria , ex interpretativa eorundem fidelium Principum voluntate. Ab hoc tamen gravamine atque licentia Sacra Congregatio declaravit immunes Judæos omnes ibi incolas, sive indigenas, sive liberos, sive captivos.

7. V. Casus. Utrùm Christiani liberi , qui hîc negotiandi gratiâ commorantur , & alii captivi, ementes à Piratis infidelibus bona à fidelibus rapta , & in urbe venum exposita, vel dono recipientes , ut his ad proprios usus utantur, vel ad terras Christianorum lucri gratiâ transmittant, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem ?

DECRETUM.

PAtres deputati existimârunt, bona Christianorum à Piratis rapta posse Fideles absque noxa mortali, & onere restitutionis, emptione, donatione, venditione, aut alio quocunque legitimo titulo, sibi accipere, ac in proprios usus convertere, non obstante, quòd sint in bello justo capta.

8. VI. Casus. Utrùm antedicti, præsertim mercatores liberi, non solùm peccent ratione rei malæ acceptæ, sed injustæ actionis, tanquam rapientium receptores, & consequenter teneantur in solidum ad restitutionem, non solùm mercium emptarum, sed omnium prætereà damnorum Christianis illatorum? Ratio dubii est, quia ut quidam asserunt, Piratæ inter deprædandum aliqua rapiunt spe vendendi dictis captivis vel liberis Christianis, quæ hâc spe non raperent, ut Infidelibus non necessaria, neque utilia, hoc autem non semper accidit in rebus magni precii, & ipsi mercatores liberi principaliter hîc morantur, ut emant merces loci, & prætereà eorum incolatus multum videtur conferre ad miserorum captivorum Redemptiones secretiùs, faciliùs, ac vilius faciendas præter quotidianas eleemosynas, quibus non solùm sublevant necessitates Captivorum, sed etiam suppeditant ex magna parte Oratoriis & Ministris Divini cultûs.

DECRETUM.

A Patribus deputatis concordi voto decisum est, Fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad restitutionem bonorum raptorum per Piratas Christianis, neque incurrere noxam peccati mortalis, etiamsi Piratæ bona illa surripiant spe lucri ex futura venditione, iisdem Fidelibus facienda, aliàs non furaturi; licet peccare possint ex complacentia super furto rerum per Piratas Christianis sublatarum.

9. VII. Casus. Utrùm Fabri lignarii captivi, qui non solùm impendunt suam operam triremibus, & aliis navi-

navigiis Dominorum, quibus impugnant, & depredantur Christianos, & interdum etiam mercaturam exercent, sed prætereà lucri gratiâ sine metu locant etiam aliis Infidelibus ad eadem navigia fabricanda, peccent, & teneantur ad restitutionem aliquam? Et quid prætereà dicendum sit de discipulis, quos erudiunt eâdem arte, partim sponte suâ, ut habeant sui laboris Coadjutores & Sublevatores?

DECRETUM.

Fideles Captivi, qui sive jussu Dominorum, sive propriâ voluntate, ac lucri gratiâ operas suas navant, etiam aliis Infidelibus à propriis Dominis in fabricandis navigiis onerariis, aut militaribus, vel erudiendis discipulis eâdem arte, ut sui laboris Coadjutores & Sublevatores habeant, ab omni culpa, dummodo ab eis nullum intendatur Christianorum damnum, vacant.

10. VIII. Casus. Utrùm Sacerdotes hîc captivi, tam alicubi ab aliquo Ordinario, quàm nullibi, & à nullo aliàs approbati, validè absolvant sacramentaliter, & ministrent alia Sacramenta Christi Fidelibus, undecunque illuc captivi abducantur, ex tacita, & interpretativa facultate Ordinariorum, vel saltim Summi Pontificis? Dubitationis ratio est, quia post translatum Dominium urbis ad Infideles sic servatum est, & nemo meminit unquam vel aliter servatum, vel in dubium vocatum esse.

DECRETUM.

PAtres deputati unanimiter dixerunt, Sacramentorum administrationem Tuneti olim exercitam à Sacerdotibus, de quibus in casu, esse sustinendam, sed imposterum esse providendum per Summum Pontificem.

11. IX. Casus. Suppositâ tanquam probabili recentiorum Doctorum sententiâ, quòd nimirum Christiani captivi in triremibus Infidelium metu mortis, aut verberum remigantes, nec excommunicationis, vel læthalis

culpæ alicujus rei censeantur. Quæritur quid dicendum de illis, qui non sistentes inter limites remigii necessarii, aut sufficientis ad evitanda verbera & mortem, student prætereà excellere in illa arte, ac ad gradus quosdam, qui de *Vogawvanti* & *Spalliere* appellantur, aspirant, & sic Dominorum gratiam conciliantes, emolumenta quædam comparantes, ut commodiùs in captivitate, & honoratiùs vitam transigant? Quid prætereà dicendum de illis, qui ad dicta officia jam promoti, cùm Fidelium navigia insequuntur, vel fugiunt, Concaptivos remigantes ad validiorem remigationem laudando, reprehendendo, contumeliis afficiendo, vel alios excitando impellunt, tum ut officio suo satisfaciant, tum ut longioris cursûs laborem subterfugiant? Quid idem de illis dicendum, qui eadem de causa Infidelibus ipsis triremium præpositis consilium aliquod præbent, quo fugientia navigia comprehendant, vel tormentorum bellicorum ictus à Christianis immissos declinantes, commune cum ipsis Infidelibus vulnerum, vel demersionis periculum vitent.

DECRETUM.

PAtres deputati responderunt, actiones omnes indifferentes, de quibus in Casu consultatio quæritur, esse licitas, sed laudari, exhortari, consilium præbere, ut navigia comprehendant Christianorum, & similes alias actiones peccata esse lethalia.

12. X. Casus. Quid dicendum sit de Matrimoniis hìc celebratis quo ad validitatem? Ratio dubitandi indè sumitur, quia desunt Parochi legitimi, & ex prætensa Ordinarii facultate celebrantur, seu interpretativa coram quovis Sacerdote captivo.

DECRETUM.

PRæpositum Casum Patres deputati esse decisum in Decreto habito suprà Casu VIII. ad quod omnino se retulerunt.

13. XI.

13. XI. Casus. Supposito defectu propriorum Parochorum quæritur: utrùm Regulares Sacerdotes possint ministrare Sacramenta Baptismi, & Matrimonii in loco præsentibus Sacerdotibus Sæcularibus.

DECRETUM.

DIxerunt Patres deputati Sacramenta Baptismi & Matrimonii olim administrata à Regularibus coram Sacerdotibus Sæcularibus esse sustinenda absque noxa aliqua Regularium, pro futuris temporibus recurrendum esse ad oraculum Summi Pontificis.

14. XII. Casus. Utrùm peccent mortaliter Caupones Christiani, qui requisiti ab Infidelibus ad suas cauponas confluentibus, offerunt illis cubicula aliqua secretiora ad comedendum, quamvis sciant sæpissimè requiri ad commodiorem usum Sodomiæ? ipsi autem Caupones asserunt non posse illis negare hoc sine lucri jactura, & interdum sine periculo verberum, & vexationis, licèt rariùs hoc secundum accidat.

DECRETUM.

POssunt Caupones cubicula secretiora Infidelibus locare, etiamsi probabiliter credant, illa requiri ad usum Sodomiæ, dummodo eo animo non locent.

15. XIII. Casus. Caupones hujus loci solent adhibere in ministerium suæ cauponæ, unum aut duos Captivos, & ejus rei causâ solvunt Dominis infidelibus ad triginta argenteos, seu scuta pro singulis, & interdum minùs pro qualitate Ministri in annos singulos, idque ut non mittantur ad remigandum in præliis: hoc autem dicti Ministri ferè accipiunt loco beneficii, quamvis nihil ipsi percipiant, nisi solum cibum & potum. Aliqui autem perspicaciores, & libertatis cupidiores, præsertim cùm vident suarum operarum conductores minimi facere libertatem, & propterea lucrum cauponæ prodigere, solent inter vendendum fraudare Infideles, miscendo vinum aquâ, vel augendo numerum mensurarum in re-

ceptione precii. Id quod partim factitatur tanquam licitum, etiam ab ipsis præcipuis Dominis cauponæ, fraudeque pecuniæ partem servant pro parte precii suæ libertatis, existimantes id sibi licere, tanquam propriæ industriæ lucrum. Ergo quid Juris?

DECRETUM.

NOn licet Fidelibus Captivis in ministerium cauponæ ascitis ab Infidelibus aliquid suffurari, licitum tamen est à præcipuis Dominis cauponæ tandundem surripere, quantum arbitrio boni viri sufficit æquare mercedem debitam laboribus suis.

16. XIV. Casus. Omnes ferè infideles Domini hujus loci ad sua negotia peragenda utuntur ministerio Captivorum, & propятереà solent singulis carceribus, qui Balnea hîc appellantur, binos vel ternos ex ipsis Captivis perspicaciores reliquis omnibus præficere, quibus quidem onus incumbit accusandi apud Dominos inobedientes, & ad opera negligentes, distribuendi cibos, & vestes, ac etiam laborem ex opere, quâ in distributione est difficillimum servare æquitatem, nam plurimùm inter æquales inæquales vestes (sic enim à Domino accipiunt) & labores partiri oportet: interdum ex æqualitate servanda vitio potentiorum malum illis imminet, solet non raro amor, & odium lancem reddere inæqualem, sæpe oblata munera aliquos laboribus eximunt, & melioribus cibis ac vestibus donant. Quæritur ergo de illorum statu, quidnam censendum sit, eorum præsertim, qui ne gratiam & officium omittant, inobedientes, ac pigros accusando, flagris objiciunt?

DECRETUM.

REsponderunt Patres deputati, omnino servandam esse justitiam distributivam, & ex ejus violatione, quæ culpa sequatur, lethalis, an venialis? Dignoscendum esse ex gravitate aut levitate materiæ. Item esse licitam accusationem contra negligentes, non pro lege aliqua obedientiæ, quæ veris Dominis debeatur, sed pro evitando

tando præjudicio diligentium Captivorum exinde emergente, ac pro redimenda vexatione, aut propria, aut aliena.

17. XV. Casus. Infideles hujus loci, præsertim infimæ conditionis, solent Fidelibus sanctæ nostræ Fidei mysteria exprobrare, vel de eorum difficultatibus rationem exponere; interdum ad disputationem provocant; aliquando eos errare, & in malo statu eos versari, asserunt; sæpe coram eis horribiles blasphemias irrogant in Christum, & Sanctos ejus, quorum singulis, ut respondeant, ac disputationi viam aperiant, velint nolint in eas angustias aliquando incidunt, ut necesse sit, vel cum aliquo Fidei detrimento, aut resilire, vel apertis verbis damnabilem eorum sententiam damnare cum evidenti periculo capitis, præsertim si sint liberi. Si verò taceant ab initio, vel respondeant cautè, & circumspectè, videntur posse evadere periculum sine aliquo Fidei detrimento. Si, verbi gratiâ, dicant, si nobis impunè liceret apud vos de Fide disputare, aut vos ex desiderio discendi veritatem hæc percunctamini, & non potiùs ex odio, ut nos capiatis in sermone, ac capitis periculo subjaceatis, vel ex curiositate vel loquacitate (sicut reverà his ex causis prædicta faciunt) libenter respondebimus: nunc autem pergite, quo pergitis, extremi judicii dies aperiet nobis sensum: vel sciscitantur aliis loquendi formulis; pœna enim in damnantes eorum sectam indispensabiliter constituta, neminem hîc latet; & idcirco audientes existimant, hujusmodi declinationes, non ex Fidei vacillatione, sed potiùs ex metu periculi profectas, & desperatione proficisci. Quæritur ergo in his & similibus occasionibus, Christi Fideles & præsertim Sacerdotes, quid ex necessitate præcepti, quidve ex consilio facere teneantur?

DECRETUM.

Disputatio de rebus Fidei Laïcis est prohibita. Sacerdotes, nisi valde periti, ex consilio ab ea debent se

abstinere, excusando se bonis verbis ac prætextibus, de quibus in casu.

Hi casus fuerunt etiam discussi in supremo Tribunali sanctæ Inquisitionis coram S. D. Urbano VIII. ut infrà.

Feriâ 5. die 18. Julii 1630.

18. In Generali Congregatione S. R. & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Mariam Majorem coram S. D. N. Urbano Divinâ Providentiâ Papa VIII. ac etiam RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica deputatis.

Relato casu transmisso à Sacra Congregatione de Propaganda Fide, proposito à Fratre Francisco Longobardo, Ordinis Minimorum Missionario Tuneti in Africa, videlicet, an Apostatæ à Fide Christiana ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicitè, & publicè coram Infidelibus cum periculo vitæ, sicut negârunt Fidem, an verò sufficiat coram Fidelibus publicè, & explicitè abjurare Apostasiam in propriis Balneis (quæ sunt Captivorum Carceres) & implicitè apud Infideles abstinendo ab actibus infidelitatis, & deponendo habitum.

DECRETUM.

Sacra Congregatio censuit Apostatas à Fide redeuntes ad pœnitentiam non teneri ad abjurandam Apostasiam publicè coram Infidelibus, sed sufficere, ut eam abjurent in Balneo coram Fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum, quatenus sit protestativus falsæ Religionis; si verò sit æquivocus, posse illum deferre; quòd si ex illa delatione ratione personæ aliqua oriretur suspicio, teneri aufugere quamprimum potest.

Feriâ 5. die 25. Julii 1630.

19. In eadem Congregatione delato alio casu, videlicet,

delicet, quomodo se gerere debeat Confessarius erga Apostatas Pœnitentes in Articulo Mortis constitutos, cùm ab illis secretò accersitur, ut secretò absolvat? Ratio difficultatis est, quia in illo Articulo solent ab Infideli familia, vel Sacerdotibus falsis induci ad actus falsæ Religionis, nec possunt abnuere sine periculo mortis.

DECRETUM.

Sacra Congregatio censuit Confessarium debere absolvere Apostatam Pœnitentem in Articulo Mortis constitutum, abjuratâ prius verbô Apostasiâ in foro Conscientiæ. Et si per aliquod temporis spatium supervixerit, poterit abjurare in Balneo coram Fidelibus; quod si non poterit, relinquat Chirographum suæ Abjurationis, saltem Signo Crucis conscriptum; quod si neque hoc possit, committat Confessario, ut suam Abjurationem Fidelibus manifestet. Non autem teneri Apostatam Pœnitentem tunc in periculo vitæ constitutum, etiam suadentibus Turcis cum vitæ periculo Fidem Catholicam, quam tunc abjuratâ Infidelitate amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere, vel non respondendo, vel æquivocis verbis.

20. *Fuit Congregatio DD. Consultorum in Palatio S. R. & universalis Inquisitionis* 13. *Augusti* 1630. *qui circa quartum casum ita resolverunt.*

IV. Casus. Qui Captivi injustè detinentur ab Infidelibus, possunt à Dominis particularibus accipere sine injustitia vel aliqua ejus specie, quantum sufficit ad congruam ejus compensationem, etiam pro sufficientia Redemptionis ab illis, vel ab aliis, qui sunt partes Reipublicæ, sive Judæi, sive Turcæ, quæ justè auferent, facientque interpretativâ licentiâ Principum Christianorum, qui contra illos bellum justum prosequuntur, quibus casibus neque furtum, neque usura est, & maximè cavendum est, ne hoc Infideles de nobis credant, quòd usuram, & furtum justificemus per scandalum, & ignominiam Fidei.

21. V. Casus fuit approbatus; aliqui tamen qualificatores dixerunt, requiri animum restitutionis, accepto pretio dato, si Dominus rerum emptarum occurrerit.

De Casu VI. ut in primo.

De Casu VII. placuit omnibus interponi ibi *lucri Gratiâ* ad evitandum grave damnum, & ad necessariam sui conservationem.

De Casu VIII. jam decisum.

Circa IX. decretum est licere hujusmodi gradus procurare, dummodò nunquam tali excellentiâ in remigando intendant, uti contra Christianos, non enim licet strenuè remigare causâ lucri, vel alicujus commodi temporalis in Infidelium triremibus contra Christianos; sed solùm possunt remigare, & alias actiones indifferentes facere ob metum mortis, vel verberum. Alios verò hortari ad strenuè remigandum, laudare, vel contumeliis afficere, est omnino illicitum. Declinare verò ictus tormentorum ad propriam vitam salvandam, licitum est, dummodò ex hoc damnum aliquod notabile Reipublicæ Christianæ non oriatur. In omnibus autem præfatis Casibus illicitis, ut suprà, non solùm mortaliter peccant, sed etiam in Excommunicationem incidunt, cùm Infidelibus contra Christianos auxilium præstent.

Circa X. rectè responsum est.

Circa XI. rectè responsum est.

Circa XII. fuit decretum, non licere hujusmodi cubicula locare illis abusuris ad scelus tam maximum causâ lucri, sed solùm ad evitandum aliquod grave malum, mortis videlicet, mutilationis, vel verberum.

Circa reliquos tres Articulos rectè responsum est. Noster Ludovicus de Conceptione sic loquitur de prædictis Decretis.

P. Ludovicus à Concept. de Potestate Regul. p. 303.

22. Circa *Primum*, Notant Doctores habitum falsæ Religionis protestativum esse Vestem Lineam & Talarem, quâ soli Sacerdotes infideles utuntur, habitum verò æquivocum, esse solùm Nationis discretivum, quale

le est operimentum capitis, quod vulgò *Turbante* appellatur; & dum sic incedunt, arcendi non sunt à susceptione Sacramentorum, si propositum habent Fidem profitendi si juridicè interrogentur.

23. Circa *Secundum*, Notant Apostatam modo dicto Pœnitentem (præter abjurationem Apostasiæ , coram Confessario factam) debere constantem animi præparationem habere abjurandi illam publicè & explicitè, si juridicè interrogetur, hoc est si à Turcis interrogetur, an in negatione Catholicæ Fidei, quam antè habuit, persistat ? Itaque falsæ Religionis actus elicere non potest neque ostendere. Et licèt non possit malos suasores expellere, sufficit interiùs eorum suasionibus non consentire. Sic communiter Doctores.

24. Circa *Tertium*, Doctores hanc licentiam non concedunt advenis, qui habentes sub Fidelium Principum regimine domicilium huc negotiandi gratiâ veniunt; nam ut probabiliùs docent, non posse alicujus inviti bona surripere, & quod Captivis Christianis concedunt, Judæis omnibus negant ibi commorantibus sive sint incolæ, sive indigeni, sive liberi, sive captivi.

25. Circa *Quartum* fateor aliquos Doctores & Qualificatores asserere; requiri animum restituendi, accepto pretio dato, si Dominus rerum emptarum occurrerit. Ad responsionem tamen Sacræ Congregationis, quæ clariùs in responsione sequentis dubii redibit, omnino attendendum est.

26. Circa *Quintum* quidam dixerunt requiriri animum restituendi accepto pretio dato, si Dominus rerum emptarum occurrat. Deinde alii Doctores addunt, quòd Mercatores liberi, principaliter ibi morantur, ut emant merces loci. Et prætereà eorum incolatus multùm videtur conferre ad miserum Captivorum Redemptionem securiùs, faciliùs, & utiliùs faciendam, præter quotidianas eleemosynas, quibus non solùm necessitates sublevant Captivorum, sed etiam Oratoriis, & Ministris divini cultûs magna ex parte suppeditant.

 Sed

Sed inspectâ spe lucri, factâ venditione rerum, per Piratas ipsos raptarum, dico de simili spe non esse curandum. Tum quia ea non obstante Sacra Congregatio, & à peccato furti, & ab obligatione restitutionis præfatos ementes talia bona excusat; & licet spe tali ablatâ prædicta bona Piratæ non raperent, quia non utilia nec necessaria Infidelibus; unde tamen constat, quòd illa, vel non comburerent, vel in mare non projicerent? Et sanè ex illorum capitali odio in Christianos, eâdem facilitate, quâ in illis spes lucri prædicta firmatur, affirmari valet, vel quòd dicta bona comburerent, vel in mare projicerent. Cumque respectu Christianorum, quorum prædicta erant bona, melius sit, quòd minori pretio dicta emantur bona per Christianos Mercatores, quàm quod deperdantur omnino, & quòd bona illa Oratoriis & Ministris Divini cultûs, vel in totum vel in partem deserviant: quibus accedunt eleemosynæ Christianis captivis à Mercatoribus Catholicis factæ. Hinc est primò, quòd Domini prædictorum bonorum ea bona, ut omnino omissa reputent. Secundò quòd voluntas eorum sit, ut potiùs Catholici ea possideant, ut in partem miseris Captivis succurrant, quàm quòd à Piratis, vel comburantur, vel in mare projiciantur. Unde quoad effectum excusationis à peccato, & restitutione in Mercatoribus prædicta bona ementibus, illa, pro derelictis ab ipsorum Dominis reputata censentur.

27. Circa *Sextum* Doctores resolvunt, Fideles captivos, qui sine jussu Dominorum, sive propriâ voluntate, lucrique gratiâ operas suas navant, ac locant aliis etiam Infidelibus, à propriis Dominis, in fabricando Navigiis onerariis aut militaribus, vel erudiendis Discipulis eâdem arte, ut sui laboris eos coadjutores & sublevatores habeant, ab omni culpa vacare, dummodo ab eis nullum Christianorum damnum intendatur. Et ad *Septimum* addit Congregatio. Placuit omnibus ibi interponi *lucri gratiâ* ad evitandum grave damnum, & ad necessariam sui conservationem.

28. Circa

28. Circa *Undecimum* Doctores absolutè docent, hoc licere, licèt probabiliter credant talia cubicula locantes illa requiri ab Infidelibus ad usum Sodomiæ, dummodo ex animo illa non locent.

Denique in Decreto Sacræ Congregationis Casus XIII. qui apud Ludovicum nostrum est dubium duodecimum, notat doctrinam non videri cum his; quæ in responsione ad tertium dubium (ad casum quartum) sunt dicta adæquari, nam *suprà num.* 23. inquit, sic habetur. Captivi qui injustè detinentur ab Infidelibus; possunt à Dominis particularibus accipere, sive industriâ, sive aliquâ ejus specie quantum sufficit ad congruam compensationem etiam pro sufficientia Redemptionis ab illis (nota sequentia) vel ab aliis, qui sunt partes Reipublicæ, sive Judæi, sive Turcæ sint, quæ justè auferent & facient interpretativâ voluntate, & licentiâ Principum Christianorum, &c. An autem advertentia hæc aliquod habeat fundamentum, Doctis relinquo. *Hæc prædictus Ludovicus.*

29. Observanda sunt etiam à Redemptoribus Captivorum quæ in ipsorum gratiam prædictis addimus.

I. Posse invitum Dominum compelli, ut Servum Maurum vendat, si eo opus est, ut Christianus à Mauris captus redimatur, ut probat Barbosa *l. invitum. n.* 24. *C. de contrah. empt.* & Marius Giurba *observ.* 29. ubi plura de Captivo Christiano Redempto à Christiano, & ejus obligatione.

30. II. Posse Captum ab hostibus etiam invitum redimi, & compelli, ut contractum de hac re gestum ratum habeat. *Auth. si Captivi.* ubi Cynus & Salicet. *C. de Episcop. & Clericis.* Alexand. *num.* 7. *in l. fin. C. de negot. gest.* Solorzan *de Indiar. Jure lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 97. pulcherrimum enim opus est, ut ait Seneca *lib.* 2. *de benef. cap.* 14. *Etiam invitos, nolentesque servare.* Nam ut eleganter Cassiodorus *lib.* 1. *var. Epist.* 5. *medendi peritus invitum frequenter salvat ægrotum.*

31. III. Posse Captivos Christianos licitè fugere à Sara-

Saracenis, Turcis, & Tartaris, à quibus injustè capti sunt, & secum eorum bona asportare, ut contra Ancharranum *in cap. peccatum de Reg. Juris in* 6. Tradit Glossa *& DD. in cap. Jus Gentium* 1. *distinct.* Innocent. *in cap. olim el.* 1. *de restitutione spoliatorum.* Communis apud Martam *tract. de jurisdict.* 1. *part. cap.* 24. *ex num.* 46. Molin. *de Just. tract.* 2. *disp.* 37. *in princip.* Et Solorzan *de Indiar. jure lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 45.

32. IV. Teneri Captivum, pro sua Redemptione honestum ac moderatum pretium promittentem, suum adimplere promissum, ac pactum servare, nullâ enim ratione ab hac obligatione seu promissione eximi potest, etiamsi is, cui promisit, hostis sit seu Saracenus. Probatur *ex cap. Innocens* 22. *quæst.* 4. *& cap. noli existimare* 23. *quæst.* 1. ubi dicitur, quòd Fides, quando promittitur, *etiam hosti servanda est, contra quem bellum gerimus.* Probatur etiam *ex leg. nam, & Servius, ff. de negotiis gestis.* Ubi expressè casum reperies decisum; nec te fallant Doctissimi D. Didaci de Covarruvias verba, *part.* 2. *de Matrimonio cap.* 3. *num.* 21. *&* 22. ubi videtur dictam exponere legem de capto in bello justo, explicat enim se *num.* 24. dicens valde ad rem, *Quod verò diximus hanc nonam illationem probari in dict. leg. nam, & Servius. Id fecimus fortunium secuti, non tamen ex hoc negamus, illam Jurisconsulti decisionem locum habere, etiamsi hostis à quo captus redimitur iniquus, injustusque sit, imo, & in hoc locum esse Jurisconsulto opinamur, cùm in ejus responsione potius agatur, de actione negotiorum gestorum competenti ei, qui pro capto ab hostibus, ut is liber fieret, pretium Redemptionis, vel solvit vel promisit: ac tandem agitur potiùs de pactione expressa, vel tacita inter Redimentem & Redemptum, quàm de pacto cum injusto hoste inito. Iniquus etenim hostis est Turca, & injustè adversùm Christianos bellum gerit, & tamen si inter tres, quatuor, vel plures Christanos apud Turcas Captivos contingeret factum, cujus in dicta lege, nam, & Servius Jurisconsultus meminit, minimè dubitarem in eo Jurisconsulti responsum admittere, pro quo facit textus in leg.* 2. *& in leg. ab hostibus*

cum

cum aliis ejusdem Rubr. C. de Captivis. Unde manifestum est, quòd si Christianus Captivus missus fuisset à Turca ad terram Christianorum, eâ conditione, & pacto, ut pecuniam adferret, vel mitteret pro Redemptione, vel ad Captivitatem rediret; teneretur omnino pecuniam dare, si reverti noluisset; aut, si pretium Redemptionis habere non potuisset, redire tandem ad Captivitatem, rebus in eodem statu permanentibus, juxta Regulam generalem, quam statuit D. Thomas *in 22. quæst. 110. art. 3. ad quintum* sub his verbis: *Ad hoc quod homo teneatur facere, quod promisit, requiritur, quòd omnia immutata permaneant, alioquin nec fuit mendax in promittendo; quia promisit, quod habebat in mente sub intellectis debitis conditionibus: Nec etiam est infidelis non implendo, quod promisit; quia eadem conditiones non extant. Unde Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quo se iturum promiserat, ut dicitur 2. ad Corinth. 1. Et hoc propter impedimenta, quæ superveniunt.*

33. V. Testamentum factum in terris Infidelium valere secundùm Jus Gentium, quod præsumitur ibi vigere, ut tenet Baldus *in leg. 2. C. quemadmodum test. Asperian.* & cum eo Gregor. Lopez *in leg. 6. tit. 1. Partit. 6.* Et licèt testamentum à Captivis in loco Captivitatis factum non valeat, etiamsi posteà redierint ut *ex leg. ejus qui ff. de test. §. ultim. Institut. & aliis* probat Mieres *tract. de Majorat. part. 1. quæst. 1. ex num. 413.* Hoc tamen non intelligitur de Captivis Christianis, à Turcis & Mauris seu Saracenis captis; hi enim etiam in statu & loco Captivitatis testari possunt, ut bene observat Diana, *part. 7. tract. 7. resolut. 51.* cum Amico *de Just. & Jure disp. 19. sed 3. num. 36.* & Molina *disp. 37.*

34. VI. Captivi bona in Captivitate decedentis pertinere ad Episcopum, etiamsi hæredes habeat, qui Captivi Redemptionem neglexerunt, ita enim expressè habetur *Authent. Si Captivi, C. de Episcop. & Clericis*: ubi dicitur non solùm exhæreditari posse, sed ex lege denegari eis Successionem, deferrique Ecclesiæ Civitatis ejus

explendam in Captivorum Redemptionem. Et eamdem esse pœnam Parentum, si Redemptionem neglexerint liberorum. Unde & Parentes & filii (& à fortiori cæteri Conjuncti) insuccessibiles sunt ipso Captivo, jure ipso absque alia sententia. Quod idem statutum est pro Regnis Castellæ *l.* 6. *tit.* 7. *Partit.* 6. *& leg.* 11. *eodem tit. & Partit.*

35. VII. Posse dubitare an Captivus vivere, an mortuus præsumatur? Et dicendum est, quòd si agatur de Matrimonio contrahendo, & sic de damno irreparabili, si mulier marito adhuc vivo alteri nubat, ad illud contrahendum, requiri certitudinem mortis mariti. Bart. *leg.* 2. *si dubitetur*, *num.* 1. *ad finem jam quemadmodum testament. aperiantur.* Si autem agatur de Successione bonorum, & sic de damno reparabili, si de vita Captivi per quinquennium expectati non constet, succedetur in ejus bonis tanquam præsumptivè mortui, ut Barbosa *part.* 2. *num.* 72. *Rubricæ ff. soluto Matrimonio*, addens hoc esse notabile ad limitationem *l. nec nos*, *C. de postlim. reversis.*

36. Addimus demùm oportere, *primò* Christianorum Redemptores Captivorum cognitos habere Mahumetanorum depravatos mores, atque errores ex his qui adversùs eos egregiè scripserunt. S. Eulogius Martyr *in Apologetico Martyrum.* S. Petrus Paschasius Martyr *Histor. Mahumet. à titulo* 1. Euthymius Zigab. *part.* 2. *Panopliæ titulo* 24. Dionysius Carthus. *in Sectam Mahumetanam l.* 2. Nicolaus de Cussa *in cribratione Alcorani.* Joannes Cuspinianus *de Cæsaribus*, *& Imperatoribus Romanorum tom.* 1. *de Mahumete Saracenorum Phyliarcho.* Ricold. *lib. de Turcarum moribus.* Prateolus *lib.* 9. *cap.* 8. Et novissimè P. Thirsus Conzalez de Santalla Societatis Jesu nunc vigilantissimus Præpositus Generalis *tom.* 3. *select. disp. ultim. per totam.*

37. *Secundò* Oportere prædictos Captivorum Redemptores instructos apprimè esse iis omnibus, quæ ad veri pertinent constitutionem Martyrii cùm malignitati Mahumetanorum, & morti in Christianæ Religionis defensionem

fensionem sint expositi. Agunt verò de Martyrio Theologi cum Angelico Doctore D. Thoma *in 22. quæst.* 124. P. Francisc. Suarez *tom. in 3. part. disp.* 29. *sect.* 2. & 3. Layman. *tom.* 1. *lib.* 3. *sect.* 3. Henriq. *in summa lib.* 2. *de Baptismo.* Valentia. *tom.* 3. *disp.* 8. *quæst.* 2. *part.* 2. *Et quàm plures alii* : & hîc finem imponimus.

CAPUT XVI.

De fine, qui in Redemptione Captivorum ultimò intenditur.

1. PEr multos jam pridem esse intellexeram, quibus & satis quidem firmiter infirma satis illa insedit opinio: Institutum Redemptionis solùm illum spectare finem, quo unicè redimantur corpora, cùm Opus Misericordiæ sit tantùm corporale. Sed quantùm opinando hi à firmiori recedant Sententia, ex præmissis jam constat, & in sequentibus demonstrabo.

2. Et ut ad intentum, & ad ultimum finem omnes hic unus conveniamus, de ultimo fine Aristoteles intimus rerum indagator consulendus est, qui finem ultimum ita cunctis irrefragabiliter definit: *Finis est cujus gratiâ omnia comparantur, & cujus gratiâ cætera res habentur.* Et iterum alio in loco in similem coincidit sensum, nunquam sibi dissentiens sapientissimus Philosophus: *Id cujus causâ*, inquit, *aliquid efficitur, finis est; ejusmodi autem est id, quod non alio, sed ad ipsum cætera referuntur.* Nunc inquiro cujus gratiâ omnia comparantur? & cujus causâ in Redemptione Captivorum aliquid efficitur? Non tantùm ut corpora (prout vulgus volebat) ab Infidelium potestate liberentur, sed ut & animæ Fidelium ab infidelitatis periculo sint liberæ: *Et ejusmodi autem est id* (ut cum Philosopho loquar) *quod non alio, sed ad ipsum cætera referuntur.*

Arist. lib. 1. *Rhet. c.* 7.

Idem lib. 1. *Brev. Metaph. cap.* 2. *t.* 8.

3. Enimverò hoc verissimum firmissimè semper cum Regio Lusitaniæ Ecclesiaste Antonio Viera affirmo; nimi-

Viera. part. 2. *serm.* 7. *§.* 4.

nimirum: quod in Tartaria Turcia, sive Barbaria venditur & solvitur, quod ex ergastulis educitur, quod ferro exoneratur, quod à catenis liberatur, esse corpora, sed quod principaliter emitur & acquiritur, quod principaliter redimitur, quod primariò à captivitate liberari intenditur, esse animas. Animæ & Corpora redimuntur, Animæ & Corpora liberantur. Sed ad mentem Aristotelis ultimum definientis finem; animæ gratiâ & amore sui ipsarum, corpora verò gratiâ & amore animarum redimuntur & comparantur. Hinc est, quòd non redimamus Christianos, qui apud Fideles in captivitatem sunt adstricti, quia licèt corpora illorum aliquando sint in periculo, non ita animæ quæ plurimis suæ salutis, & salvationis mediis semper uti possunt. Sed Christianos apud Infideles in captivitate detentos redimimus, quia non tantùm corpora sed maximè animæ in maximo perditionis sunt periculo; & hos non illos redimere nostrum est Institutum. Redimuntur corpora, non ut corpora, sed ut animæ redimantur.

4. Et hæc de fine ultimo non tantùm Philosophica ex Aristotele, sed planè Evangèlica de Christo est veritas; prudens etenim ille apud Matthæum Negotiator, qui invento alieno in agro Thesauro, ut eundem lucretur rarâ utitur solertiâ: *Vadit* nimirum, *& vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum.* Venditur ager, nec de thesauro cogitat ignarus venditor; emitur ager, nec emptor in agri, sed in thesauri acquisitione intentionis suæ finem constituit, agrum enim non propter agrum, sed agrum thesauri emit amore. Ità planè se res habet nostro in casu, sub agro Corpus, ex Damasceno agro fabricatum, intelligi velim, & consequenter anima thesauro hoc in agro abscondito probè comparabitur. Nunc sic, Tartarus vendit hunc Damascenum agrum, Corpus, videlicet, quod Captivum possidet, nec sibi de anima de thesauro in hoc Damasceno agro abscondito cura est: Redemptor pariter emit agrum, corpus intellige, sed corpus non principaliter corporis, sed animæ, thesauri nimi-

Matth. 13. v. 44.

nimirum emit amore, & in hoc finem ultimum suæ negotiationis ponit, ne scilicèt, in illo zizania seminet Infidelis, ne cum zizania simul ager & thesaurus comburatur, & æternis simul ardeat gehennæ ignibus.

5. Qua de causa ex peculiari, & Canonico S. N. Ordinis Instituto, & corporum, & animarum sumus Redemptores: etenim corpora redimuntur perditâ libertate; animæ verò antequam fidem perdant: corpora redimuntur captiva; animæ ne captiventur: corpora liberantur à captivitate, & jugo Infidelium; animæ ab æternæ gehennæ præcipitio retrahuntur: corpora à temporalibus hujus vitæ calamitatibus eruuntur; animæ ab æternorum tormentorum proximiori salvantur periculo; ita quidem, ut hæc corporum redemptio multarum calamitatum sit evasio; animorum verò redemptio infinitarum pœnarum sit præservativum remedium, quæ multò perfectior atque sublimior est priori, quâ Christus Prototypon & Exemplar Redemptorum (quamvis duntaxat semel) tamen singulariter uti voluit.

6. Inter Theologos illa satis celebris quondam exagitata est controversia: utrùm Christus Matris suæ fuerit Redemptor? Ratio dubitandi est, nimirum: redimere est à captivitate liberare, atqui Beatissima Christi Mater sine peccato originali concepta, nunquam in peccati fuit captivitate; ergo nec redimi poterat nec liberari, & per consequèns, Christus esse non potuit ejus Redemptor. Et nihilominus tamen Fide sanctum est, Christum Sanctissimæ Matris suæ, nec solùm quocunque, sed multò perfectiori modo quàm cæterarum creaturarum Redemptorem fuisse. Alios quippe redemit postea: Matrem suam redemit ante; alios redemit jam peccati captivos, Matrem suam necdum captivam, & ne talis fieret præservando.

7. Sicut Christus suæ Sanctissimæ Matris fuit Redemptor, eodemque modo nos omnes ejusdem Sanctissimæ Matris Filii Redemptores existimus animarum, quas unà cum corporibus liberantes, sumus, ut dixi, Re-

demptores corporum, sumus & Redemptores animarum; hac tamen cum differentia: corpora redimimus, animas præservamus: corpora liberamus à barbarorum captivitate, animas ab imminenti avernalis captivitatis periculo: corpora liberamus à magna miseria, animas à majoris miseriæ occasione: corpora liberamus ab Infidelium potestate, in qua jam sunt constituta, animas liberamus ab Infidelitatis potestate, non jam tum illi subditas, sed ne in eam deveniant. Jam desino, & dissertationi huic de ultimo fine pariter finem impono, & rectè quidem verbis supracitati Antonii Viera totius Lusitaniæ Concionatoris facilè celeberrimi: & hæc est, inquit, gloriosa illustrissimæ Religionis illius prærogativa præ cæteris, quæ in salvandis animabus occupatur. Aliæ Religiones laborant, ut Infideles conversos ad Christianismum traducant: illa facit ne Fideles ad Infidelitatem transeant. Aliæ animas retrahunt à peccato: illa retrahit à tentatione. Aliæ efficiunt, ut in Christum credatur, hæc verò ne Christus abnegetur. Aliæ dirigunt Zachæum, ut fiat Discipulus: hæc Judam sustentat, ne Apostata fiat. Aliæ denique Religiones tractant animas sicut Christus universaliter redemit omnes, hæc universaliter tractat omnes sicut Christus peculiariter illam suæ Matris redimit. Ita Viera.

CAPUT XVII.

De Sanctis Patribus, qui Verbo, & Exemplo Redemptionem Captivorum Fidelibus Commendarunt.

I. OMnes Sancti Patres Græci, & Latini tam Orientis, quàm Occidentis Ecclesiæ unanimi voce concordique calculo suffragantur, Captivorum Redemptioni; quam non tantùm summis extulêre laudibus, sed etiam in tam excellenti exercitio vivo exemplo se summè laudabiles præstiterunt. S. Ambrosius

brosius Mediolanensis Archi-Præsul, & Ecclesiæ Doctor, in cujus ore adhuc infanti examen apum insedisse legimus, & Divinæ Eloquentiæ ambrosiam in eodem mellificâsse experimur, dum præclara ejus, & Ecclesiæ utilissima opera expendimus: hic licèt pluribus in locis Redemptionem Captivorum apprimè Fidelibus commendet, unicum tantùm exhibeo, ubi hæc habet ponderatissima verba: *Ornatus*, inquit, *Sacramentorum Redemptio Captivorum. Et verè illa sunt Vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus est Thesaurus Domini, qui operatur, quod ejus Sanguis operatus est. Tunc Vas Dominici Sanguinis agnosco, cùm in utroque video Redemptionem, ut Calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quàm pulchrum, ut cum agmina Captivorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: hos Christus redemit. Ecce Aurum, quod probari potest. Ecce Aurum utile, ecce Aurum Christi, quod à morte liberat. Ecce Aurum, quo redimitur Pudicitia, servatur Castitas. Hos ego malui vobis liberos tradere, quàm Aurum reservare. Hic numerus Captivorum, hic Ordo præstantior est, quàm species poculorum. Huic muneri proficere debuit Aurum Redempteris, ut redimeret periclitantes. Agnosco infusum Auro Sanguinem Christi non solùm irrutilasse, verùm etiam Divinæ Operationis impressisse virtutem Redemptionis munere.* Hæc D. Ambrosius per singula expendenda.

S.Amb. lib. 2. de Offic. cap. 28.

2. De S. Augustino itidem Magno Ecclesiæ Doctore, & Hyponensi Antistite testatur Possidius ejus Coætaneus, simul & Discipulus, cujus hoc est testimonium: *Dum Ecclesia Pecunia deficeret, hoc ipsum Populo Christiano denuntiabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Nam & de Vasis Dominicis propter Captivos, & plurimos indigentes frangi, & conflari jubebat, & indigentibus dispensari. Quod etiam venerabilis memoria Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum, & dixit, & scripsit.* Qui plurima de isto Sanctissimo Doctore in commendationem Redemptionis desideraverit legat eundem *in Psal. 99. item de Civit. Dei lib. 1. cap.* 10.

Possid. in ejus Vita.

3. S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus quantùm do-

doluerit de Christianorum captivitate, quantumque eidem cordi Redemptio fuerit, patet ex ejus Epistola ad Januarium, quam suprà recitavimus, & ex sequentibus, quæ ex eadem Epistola subjicimus, inquit enim: *in captivis Fratribus nostris contemplandus est Christus, & redimendus de periculo captivitatis, qui nos redemit de periculo mortis, de diaboli faucibus exuit, nunc ipse, qui manet, & habitat in nobis de barbarorum manibus exuatur, & redimatur nummariâ quantitate, qui nos cruce redemit & sanguine.* Plures similes Epistolas scripsit etiam S. Gregorius Magnus, quæ videri possunt lib. 6. Epist. 13. & 35. & lib. 7. Epist. 14. Præterea de Epistolis, quæ propter Redemptionem Captivorum olim à sanctis Patribus scribebantur, consulendum est Concilium Lugdunense 3. c. 2. Item Cæsar Baronius ad annum 142. n. 9. tom. 2.

S. Cyprianus Epist. 60.

4. Nos de verbis ad opera progressum facimus, ut quos verba ad persuasionem movent, ad imitationem exempla trahant. Idem S. Cyprianus quod oratione proposuit, in opere demonstravit, nam ut ex ejusdem pleniùs constat Epistola, in suo Episcopatu Carthaginensi centum millia sextertiorum collegit, & ad Episcopos Numides in Africam misit, ut Captivi redimantur. Imitatus nimirum S. Cæsarium Arelatensem Episcopum olim Magistrum suum de quo idem S. Cyprianus ejus discipulus hæc scriptis consignavit: *Jam verò mirum dictu est quàm multi ab eo redempti sint Captivi: quod sanè sanctum opus ità est prosecutus, ut etiam ab illis, quæ ad divini ministerii dispensationem pertinent, non abstineret, thuribulis, calicibus patenis pro eorum redemptione datis; videlicet ne homo rationalis Christi sanguine redemptus, aut Arianus efficeretur aut Judæus, aut ex ingenuo servus.* Præterea narrat idem Sanctus, cùm nimirùm S. Cæsarius à Theodorico Rege argenteum discum librarum plùs minùs sexaginta cum trecentis solidis dono accepisset; tertio die Vir sanctus per ministros suos discum priùs æstimatum jussit publicè vendi, cujus pretio multos redemit captivos.

Epist. ad Numides Episcopos de Red. Frat. ex captivitate Barbar.

S. Cyp. in Vita S. Cæsarii cap. 14.

5. S. Rembertus Bremensis sive Hamburgensis Archi-

Archi-Episcopus bonis penè cunctis, quæ habebat ad redemptionem captivorum expensis, cùm multorum adhuc apud Infideles detentorum Captivorum calamitatem cernere cogeretur, etiam sacri Altaris vasa ad illos redimendos impendere non dubitavit; qua in re dum quibusdam minùs sublimiter intelligentibus non rectè fecisse videretur, quasi in alios usus converteret, quæ sacris essent deputata ministeriis, & à quodam interrogatus esset, cur id faceret? Justâ ratione sciscitanti satisfaciens hæc respondit: *Non ignoro*, inquit, *res Ecclesiastici Officii dignè tractandas, & sub magna obligatione ad hoc esse depositas. Verumtamen plus est apud Deum per eas subveniri captivis Christianis in angustia constitutis, quàm esse queat depositum eas custodiendi: cumque incumbit necessitas è duobus alterum eligendi, altero carendi; præferendum est illud, quod est præstantius, & id quod inferius est, relinquendum. Unde etiam ego, cùm nullum suppetit consilium aliud, non solùm arguendus impietatis, si Christianum, qui filius Dei est, thesauris Ecclesiæ redimo: quandoquidem semper invenire possumus, quod ad usum sacri ministerii sufficiat: irrecuperabilis verò damni est, si Christianus in captivitatis afflictione deficiat.* *Ex Surio Aureiltius in Historia.*

6. S. Rembertum egregiè secutus est S. Acacius Episcopus Amidæ in Mesopotamia, uti ejus meminit Martyrologium Romanum, & eundem Socrates in historiis Ecclesiasticis commendat: Hic pauperes Captivos numero septem millium pauperie propemodum fameque consumptos redemit, convocatis suis Clericis, & ad misericordiam gravissimâ oratione compulsis, inter multa: *Deus noster*, inquit, *neque lancibus, neque poculis eget, nam nec comedit nec bibit, quippe qui his rebus minimè opus habet. Quare cum Ecclesia multa monumenta aurea argenteaque ex propensa Fidelium in eam benignitate possideat, hisce rebus Milites captivos è custodia liberare fameque propè enectos reficere, sustentareque convenit.* Dictum factum summa cum Acacii laude, pauperum Captivorum lætâ liberatione, Christique Redemptoris magnâ nominis Gloriâ. *Martyrol. Rom. die 9. April.*

7. Nec inferiora secutus S. Deogratias Ecclesiæ *Surius 17. Octob. Vict.*

lib. 1. hist. Vandal. Carthaginensis Episcopus; hic, ut Laurentius Surius & Victor Uticensis commemorant, cùm Gensericus Rex Romam nobilissimam urbem hostiliter irrupisset, ingentem Romanorum Civium multitudinem captivavit, & abduxit, quod miserabile Captivorum agmen cùm Africanum littus attingeret, dividentibus Vandalis & Mauris ingentem populi quantitatem, ut moris est barbaris, mariti ab uxoribus, liberi à parentibus separabantur. Statim sategit Vir Deo plenus & charus Deogratias universa ministerii vasa aurea & argentea distrahere, & libertatem de servitute barbarica liberare; & ut conjugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderentur, quàm plurimos redemit, in patriamque liberos demisit. Et quia plerosque insuetudo navigii, & crudelitas captivitatis afflixerat, non parvus inter eos fuerat numerus ægrotorum, quos ille beatus Antistes, ut nutrix pia, & per momenta singula cum Medicis circuibat, sequentibus cibis, ut inspectâ venâ quid cuique opus esset, illo præsente daretur.

8. De S. Adalberto Archi-Episcopo Pragensi, Apostolo Hungariæ, nec non & Gloriosissimo Christi Martyre scribit quidam Anonimus ejus contemporaneus, ut *Haraus in Epitom. Sanctor. 23. April.* Author est Haræus, quòd de omnibus bonis Episcopatûs sui *quatuor divisiones fecerit, unam Clerus, alteram agmen pauperum usibus sumpsère, tertiam Mater Ecclesia pro Captivorum redemptione, & sua restauratione possedit, quartam ipse cum cohærentibus sibi ad necessarios sumptus recepit.*

Idem 29. Julii. Idem Haræus ex Surio refert S. Lupum Episcopum Trecensem omnes census suos pauperibus & redimendis *Offic. prop. Poloniæ.* Captivis impendisse. Item S. Albinus Andegavensis Episcopus totum se alendis pauperibus & redimendis *Offic. prop. Hungariæ.* Captivis dedit. S. Joannes cognomento Eleemosynarius & Patriarcha Alexandrinus ingentes eleemosynarum lar- *Baron. ad ann. 494. n. 41. & ad ann. 508. n. 11.* gitiones in Captivos liberandos quotidie faciebat. S. Epiphanius anno Christi 494. ipsemet in Persona ad barbaras gentes profectus est, ut redemptionem Captivorum exequeretur. S. Eligius Noviomensis Episcopus, pro ut de

eo

eo testatur vetustissimus Audoemus Regis Dagoberti Cancellarius, qui ut scribit Noster Gaguinus propter sanctitatem vitæ & merita in numerum Sanctorum relatus est: hic de S. Eligio sequentia commendat: *cuncta quæ habere poterat, usque ad cingulum & amphibalum, nec non & victum necessarium, sed & usque ad calceamenta cuncta se expoliabat, tantummodo ut Captivis subveniret.* *Gaguin. Hist. Franc. lib. 3. fol. 41. S. Audoemus in Vita S. Eligii lib. 1.*

9. Quid plura? Non refero S. Richarium Presbyterum quiescentem in centula, *qui*, ut scribit Alcuinus ad Carolum Magnum, *omnia sua pauperibus, nec non in redemptionem Captivorum dividere festinavit.* Mitto insuper S. Joannem Damascenum, qui, ut Author est Joannes Patriarcha Jerosolymitanus, non tantùm dives patrimonium, quod in Palestina possidebat, sed tam mobilia quàm immobilia, aurum & argentum, & omnia quæ habebat, in pium redemptionis opus expendebat; prætermitto hos, & plures alios, quorum numerum in seriem cogere prolixum est; verùm omittere non possum S. Paulinum Episcopum Nolanum, qui non tantùm sua, sed cùm nihil jam suorum habebat, seipsum, & quidem ut viduæ filium redimeret, in lytrum redemptionis dedit, quare in Africa apud Regis Generum multis annis in captivitate duravit hortulani functus officio; tandem Deo mirabiliter disponente libertatem assecutus, omnium ex sua civitate Captivorum, qui in tota Africa reperiri poterant, redemptionem obtinuit, quem S. Augustinus summis extollit laudibus, & S. Gregorius Magnus in suis Dialogis totam expendit historiam, eundemque sequenti celebrat encomio. *Sicque factum est, ut omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret, & qui se in servitium solum tradiderat, cum multis è servitio ad libertatem rediit, illum videlicet imitatus, qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati: cujus sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntariè factus est solus servus, ut esset postmodum liber cum multis.* *Alcuinus. S. Aug. lib. 1. de Civit. Dei cap. 1. S Greg. lib. 1. Dialog. cap. 1.*

10. Non absimilem historiam narrat idem S. Gregorius de Sanctulo Viro in subveniendis Captivis mirabili *Idem Dial. lib. 3. c. 37.*

Baron. ad ann. 586. Sopb. cap. 155. & sancto, quæ videri poterit iisdem in Dialogis. Item Cæsar Baronius de Leone, & Sophronicus de Nicolao Abbatibus similem recensent Casum: qui ista expressiùs videre desideraverit, Authores in margine citatos petat, vel Magnum Theatrum vitæ humanæ Laurentii Beyerlinck tom. 2. pag. 87. inspiciat.

Surius tom. 6. 17. Nov. Martyrol. Rom. 22. Julii. Ribad. in flore laud. 31. Decēb. Idem 20. Decemb. Macedo. 5. cap. 11. Præterea clari in subveniendis Captivis fuêre S. Anianus Episcopus Aurelianensis, ut refert Surius. S. Plato Martyr, ut acta secundæ Synodi Nicænæ testantur referente Martyrologio Romano. S. Melania & Pinianus, ut scribit Petrus Ribadaneira, qui etiam legi potest in vita S. Dominici de Silo, quod idcircò prætermitto, ut referam quòd de S. Dominico Ordinis Prædicatorum Institutore (qui ejusdem S. Dominici de Silo intercessione à Deo fuit impetratus, nomenque desumpsit) plures consignârunt Scriptores, cum quibus itá Macedo in vita S. P. N. Joannis de Matta: S. Dominicus suppar ætate Joanni, quod erat decennio minor, fuit. Huic puero literis Palentiæ operam danti, mulier quædam, quæ virtutem ejus probè noverat, obviam venit, rogans, ut fratrem qui in potestatem Turcarum venerat, suis precibus liberaret. Ad quam Dominicus: *Vis tu*, inquit, *eo me deferre, ac Fratrem hoc tuum reddito quasi pretio mutare? en ego.* Cumque illa cohorruisset, & facturum se negaret, recepit Sanctus Puer tentaturum se apud Deum precibus, si quid posset. Oranti coram Crucifixo, & enixè libertatem Captivo petenti, responsum hujusmodi Christus dedisse fertur: *Fili, pro qua preces fundis, ea res te non attinet, ad alium pertinet Doctorem Parisiensem Joannem & Socios, quibus ego hanc Provinciam imposui. Aliam tu non minùs nobilem suscipies, & tuis administrandam trades.* Ea vox in utramque partem verum ostentum confirmavit.

12. Enumeratos Sanctos Patres, qui Redemptione Captivorum fuêre insignes, jam si quis revocet ad numerum; paucos fateor ex innumeris retuli: si exemplum spectet; multos hîc habet: si authoritatem ponderat;

derat; magnam & irrefragabilem inveniet: si imitationem conatur; maximam profectò capiet utilitatem, & sibi & proximo suo consulet. Nihil enim aliud per ista Sancti Patres nobis insinuare voluêre, nisi ut sequamur vestigia eorum; præcesserunt illi, ut nobis faciliorem ad virtutem aperirent viam: Hi nos verbis vocant, exemplis provocant, meritis & prœmiis incitant; & equidem jam ab Ecclesiæ exordio S. Clemens post S. Petrum tertius Summus Pontifex, & Christi in terris Vicarius, ad tam meritorium Redemptionis opus nos invitavit, dicens: *Si quis non habet, jejunet, patiensque victum quotidianum distribuat Sanctis. Si quis copiâ bonorum abundet, plura pro ratione facultatum prebeat: Quòd si posset venditis suis bonis eos carceribus liberare, beatus censebitur, & amicus Christi.* Rem arduam fateor atque difficilem hîc nobis Sanctus Præsul proponit; pro his temporibus & horum temporum hominibus durissimum est hoc præceptum; sed ne alium longum denuò Sanctorum Patrum Ordinem ingrediar, præceptum hoc, verbis unici S. Valeriani Cemelensis sive Nicæensis Antistitis moderabor, & ad alia transiturus concludam: *Sed dicis pauper sum*, verba sunt Sancti, *nec nos quemquam suademus dare quod non habet, sed cujus facultas tam tenuis est, ut non possit redimere Captivum, saltem illud quod est minimum, addat ad pretium, ut vel parvo nummo videatur satisfacere præcepto.* Hæc ille, nec nos plura.

S. Clem. lib. 2. Apost. Constit.

S. Valer. in Provin. Provincia hom. 7. de misericordia in fine.

CAPUT XVIII.

De Romanis Pontificibus, qui Redemptionem Captivorum maximè procurârunt.

1. SUmmi Pontifices, uti in omnibus, ità etiam in hoc Christi Redemptoris nostri in terris Vicarii, quia Redemptores Captivorum; hi enim licèt aliis gravissimis Ecclesiæ solicitati necessitatibus, attamen ut oves gregis Dominici, quas hostilis furor abegerat, & ad

ad vincula, ad onera perpetuæ servitutis coëgit, ut eosdem, ut boni Pastores, è faucibus Luporum vindicarent, & ad ovile Christi pastorali reducerent solicitudine, animum quàm efficacissimè intenderunt, secundùm illius boni Pastoris exemplum, *qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, dimittit nonginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat.*

Lucæ 15. cap. v. 3.

2. Claruerunt in hoc insigniter S. Symachus, & Joannes IV. Summi Pontifices, qui se, uti graves commemorant Scriptores, liberalitate in redimendis Captivis celeberrimos reddiderunt; quorum primus Sæculo quinto, alter Sæculo sexto Dei gubernavit Ecclesiam. Hoc idem statim post primum Sæculum S. Clemens Summus Pontifex & Apostolorum Discipulus, uti proximè meminimus, cunctis Fidelibus peramanter commendavit.

3. Prolixior haud unquam recensendo forem, si totam Summorum Pontificum texerem seriem, qui hoc totis viribus conati sunt, ut Christiani ab Infidelium vinculis eximantur: pro nunc gratitudinis in signum sufficiat insignem Sanctissimi Patris nostri & Institutoris Innocentii III. commemorasse liberalitatem; hic primus nostrum Sacrum Ordinem approbavit, confirmavitque, auxit, & propagavit; hic primos nostros Redemptores copiosâ instructos eleemosynâ ad Miramomolinum Regem Maurochetanum cum literis, ut vocant, Commendatitiis expedivit, ut sacerrimum Redemptionis Institutum executioni mandarent: literæ, cùm breves sint, & plurima prædictorum confirment, in authentico ad manus sunt.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, Illustri Miramomolino Regi Maurochetano, & subditis ejus, &c.

Decretales Innoc. lib. 2. in editione Romana fol. 281.

INter opera misericordiæ, quæ Jesus Christus Dominus noster Fidelibus suis in Evangelio commendavit, non minimum locum obtinet Redemptio Captivorum.

vorum. Unde personis illis, quæ circa talia occupantur, Favorem debemus Apostolicum impertiri. Sanè Viri quidam, de quorum existunt numero præsentium portitores, nuper divinitus inflammati Regulam & Ordinem invenerunt, per cujus Instituta tertiam partem proventuum omnium, quos vel nunc habent, vel in futurum poterunt obtinere, in Redemptionem debent expendere Captivorum. Et ut meliùs valeant suum propositum adimplere, cùm sæpè faciliùs per commutationem, quàm per Redemptionem de Captivitatis ergastulo valeant liberari, ut Paganos captivos à Christianis redimant, est concessum, quos pro liberandis Christianis debeant commutare. Cæterùm quoniam opera, quæ præmisimus & Christianis expediunt, & Paganis, hujusmodi vobis duximus per Apostolicas literas intimanda. Inspiret autem vobis ille, qui via, veritas est, & vita, ut agnitâ veritate, quæ Christus est, ad eam venire quantociùs festinetis. Datum Laterani 8. *idus Maji, Pontificatûs nostri Anno II.*

4. Ab Innocentio III. usque ad modernum Sanctissimum Patrem nostrum Clementem XI. feliciter gubernantem Divinâ Providentiâ Summum Pontificem, quantis gratiis, privilegiis, indultis & favoribus à Sede Apostolica in emolumentum Captivorum S. N. Ordo sit condecoratus, luculenter exhibet nostrum Ordinis Bullarium, grande satis volumen, illa qui scire desideraverit, illud vel Chronicon nostrum petat, & multa admiratione dignissima reperiet, quæ ut ego brevitatis causâ prætermittam in fine operis exinde modicum quid me deliberaturum promitto.

5. Unum tamen, quod cùm recentissimæ memoriæ sit, præterire non valeo, liberalitatem scilicet S^s. D. N. Inno-

Innocentii XII. felicis memoriæ Summi Pontificis, qui verè Pater pauperum, uti toto tempore, quo Dei gubernavit Ecclesiam, paterno affectu Captivos, & Redemptricem nostram Religionem excessivè planè prosecutus est, ità in ultimo vitæ termino eundem quàm maximè testatum esse voluit, nam quadraginta millia scutorum in testamento pro Eliberatione Captivorum legavit, designatique sunt hujus tam piæ dispositionis executores Eminentissimi DD. Spada, Panciatichi, S. Clementis, Imperialis & Albanus, qui hodie Clemens XI. Summus Pontifex S. R. Ecclesiæ Cardinales; qui ut quantocitius legatum tam pium executioni mandaretur, procurârunt; Quare S[s]. D. N. Clemens XI. in eundem effectum providus N. P. Petrum à Jesu in Curia Romana Procuratorem Generalem, & Ministrum nostri Romani Conventûs S. Caroli ad quatuor fontes, nunc dignissimum Diffinitorem Generalem Apostolicum nominavit Redemptorem, qui Anno Domini 1701. cum parte aliqua illius Summæ navigavit in Africam, & Tuneti, Bisertæ, nec non in Portofarinæ quadraginta unum supra centum ex omni natione Christianos Captivos redemit, ex residua Summa pro alia Redemptione expeditio nunc paratur. Illustris certè Pietas atque Liberalitas, digna tanto Pontifice.

CAPUT XIX.

De Romanis Imperatoribus, qui Redemptioni Captivorum fuêre addictissimi.

1. SUos Cæsares olim celebraverunt Gentiles, & ut Romanum nomen posteritati illustre magis atque clarum redderent, illos à liberalitate in egenos maximopere commendavêre. Testatur enim Plinius de Trajano: *Tam in omnia intenta eum bonitatis fuisse, ut miserias scire, ad remedium salutemque miserorum suffecerit.* Sic & alios Illustres Romanos Principes, Romanorumque Im-

Plinius.

Imperatores simili prosequitur Encomio idem Plinius dicens: *Deus est mortali mortalem juvare, & hac ad aternam gloriam via. Hâc Proceres ivêre Romani; hac nunc cœlesti passu cum liberis suis vadit Maximus omnis avi Rector Vespasianus fessis rebus subveniens.* Quod cùm adulationis quâdam laboret suspicione, extra omnem sinistræ censuræ notam existimandum est quod Seneca in Tragediis lusit, nimirum: *Hoc Reges habent magnificum & ingens, quod nulla rapiet dies, prodesse miseris.*

2. Inter miseros miserrimi profectò Captivi; & licèt prædictos atque multos alios Romanos Imperatores in redimendis captivis fuisse inclytos pro expresso non habeam, non tamen illis tam justum elogium negandum censeo. Et certò gravis quidam Scriptor teste N. Raphaele liberrimè affirmat Flavium Constantinum Magnum, Valentinum, Valentianum, Honorium, Theodosium & Justinianum Romanos Imperatores Redemptioni Captivorum fuisse addictissimos.

3. Et equidem, ut à longiori investigatione desistam, Justinianum Imperatorem reperi illam constituisse legem: *Vasa sacra & vestes non posse obpignorari aut alienari, nisi ob Captivorum Redemptionem.* Similiter & Tiberium II. Romanorum Imperatorem frequentiùs dixisse lego, nimirum. *Confido in Domino, nec deerit filio nostro, modò pauperes eleemosynas accipiant, & Captivi redimantur.* De hoc piissimo Principe apud Joannem Cuspinianum invenio, omnia illa, quæ longâ avaritiâ Justinus II. ejus Prædecessor contraxerat, Tiberium, frustrà sæpiùs refragante Sophiâ Augustâ, egentibus largissimè erogâsse Et Deus liberalissimum Cæsarem in terris adhuc prœmiavit, nam quò plus dedit, eò plus à Deo datum erat ei, secundùm illud Evangelii: *Date & dabitur vobis.* Expertusque est illud, quod pro suo Imperiali symbolo gerebat: *Stips pauperum, thesaurus divitum.* Nam semel sub marmore quodam, & iterum in fonte ingentem invenit thesaurum, in quo cœlum testatum reliquit; nullam majorem Principum esse felicitatem, quàm alios fecisse felices.

Lib. 18. C. de Sacrosanctis Ecclesiis. & lib. 20. C. eodem.

P. Diacon. lib. 17. Rerum Roman. Evagrius lib. 5. cap. 13. Cuspin. in Cæsar. Lucæ cap. 6.

R 4. Sed

4. Sed nihil hîc moror, proximiora magìs calefaciunt accenduntque magìs; præsens ecce floret Augustissima atque Piissima Domus Austriaca, tot Cæsarum Regumque Mater, tantorum Heroum Nutrix, Romani Imperii & cor & vita, Orbis universi amor atque delicium; quæ uti in omnes indigentes est liberalis, in Captivos est profusa. Et ut exemplis confirmem dicta: Carolus V. Gloriosissimus Imperator, hujus Augustissimæ Domûs Grande Decus, cujus memoria in benedictione, *Immensam vim auri*, ut testis est Nierembergius, *expendit in redimendis Captivis.* Hi etiam adhuc in ergastulis suis grati pro Piissimo Cæsare precantes, continuò ad Deum supplices tendebant manus, ut Victoriæ Magni Cæsaris Africæ regnis inveherentur, quæ tot millium Christianorum diruerent atque dissiparent carceres.

Nierem-berg. Virtus coronata parte 2. cap. 2. §. 8.

5. Nec in vanum: contigerat, ut anno Domini 1535. Augustissimus Carolus Hariadenum Barbarossam bello provocaret: Hic immanis Pirata ingentem Christianorum multitudinem Tuneti in arce tenebat captivam. N. P. Petrus Dias olim in Vallisoletana Universitate Publicus Professor tunc verò Captivorum Redemptor, in maximum eorundem Captivorum solamen & spem quartum jam annum inter eos versatus, libertatem & in spiritu profectum eorundem quàm diligentissimè procuravit. Huic autem Religioso propter morum suavitatem Barbarossa ita addictus erat, ut eum oraverit dignaretur in se suscipere quinque millia Christianorum, quos ipse tenebat captivos, fidem certissimam ei faciens, quòd si quando victor ex prœlio rediret, omnes libertate donaturus.

Bonavent. Baro. ad ann. 1256. num. 8.

6. Ambiguâ Victoriâ dum inter utrosque cruentissimum fervet prœlium, Captivi ferventiùs in ergastulis Deum Exercituum precantur, inter quos P. Petrus velut alter Moëses ad cœlum cum corde levabat manus, ut Cæsariani vincerent, cum quibus absque comparatione certior suæ Redemptionis spes affulgeret. Audiit Deus vota, Hariadenus victus in conflictu, profligatusque cum

Exodi 17. cap. v. 11.

cum suis, Victori Carolo Palmam & arenam reliquit. Propudiosus tandem Barbarus spirans cædis & minarum, atque vindictæ in Christianos Tunetum reversus, se ipso factus atrocior, inusitatæ crudelitatis consilium cæpit, occidendi scilicet omnes Captivos Christiani nominis; itaque circumposito tormentario pulvere, ut ad unum omnes in ergastulis incenderet concremaretque, decrevit; certus id exequi, nisi Sinas Judæus suarum copiarum Dux execrabile factum dissuasisset, testatus hujusmodi consilium viro forti, tot victoriis inclyto, regiique diadematis honorem præferenti, indignum existimari. Erubuit ad factum Tyrannus, concessâque miseris vitâ arcem est egressus, & in longè maximum urbis templum concionaturus, se contulit.

7. Interea opera quorundam Apostatarum patefacto carceris aditu circiter sex millia, ut scribit Jovius, nudorum Christianorum variis rebus saxisque præsertim dextras armantium in Turcas erupêre, tumultuariè interfectis hostium aliquot, totam occupaverunt arcem; & Barbarossâ ex Seditionis metu Hiponam fugiente, Captivi armamentarium perfringunt, atque omni regiâ gazâ, commeatu, armisque potiti, ab excelsa arcis parte de sua victoria Cæsarianis significârunt. Sic arce & urbe receptus Cæsar: quanto verò Captivorum jubilo meminit Nierembergius supracitato loco: *Capto Tuneto*, inquit, *innumera adfuit Captivorum turba, qui in servitutem à Barbaris olim adducti profusis lætitiæ lachrymis Liberatori suo acclamabant, & in terram prostrati rogabant, ut sibi liceret, vel pedibus maximi in orbe Principis oscula figere. Spectaculum omnino miserandum afflictissimorum paulò ante ex omni Europa natione mortalium, Humanissimus Imperator consolatus universos, ad manûs osculum singulos admisit, mox viritim distributis vestimentis congruâ pecuniæ portione donati, remissi quique in patriam, supplicibus in cœlum dextris bene precantes liberalissimo Cæsari.* Religiosus verò P. Petrus, qui totius rei magna pars & author extitit, cùm succedente tempore Vallisoleti victoriosissimo Cæsari occurreret,

Jovius lib. 24. historiar.

Nieremb. loco cit.

Baro loco citato.

Africæ expeditionis & ejuſdem felicis ſucceſsûs meminit Imperator, palàm Religioſo ait: *Poſtula quod voles, mihi enim conſtitutum eſt te ſingulari dignitate cumulari.* Cui Petrus magnâ humilitate, pariq́ue modeſtiâ reſpondit: *Summa dignitas, quam à Majeſtate veſtra expecto, eſt; ut permittat me accedentem mortem in mea cella excipere.* Hâc minùs expectato Apologo ædificatus Imperator, ſummamq́ue Religioſi admiratus humilitatem ceſſit modeſtiæ.

Iſtuanfius lib. 14. hiſt. num. 40.

8. Ferdinandus I. Caroli V. Glorioſiſſimi Cæſaris Germanus Frater, & in Imperio Succeſſor, Redemptioni ſuorum admodum ſolicitus Nicolaum Salmenſem, & Sigiſmundum Herberſtainium Comites, atque in bello paceq́ue Viros meritiſſimos ad Solimanum Turcarum Imperatorem Legatos miſit, tractaturos cum barbaris, ut Captivi Chriſtiani vel commutatione vel pretio redimantur, quod plus ſemel optimus Cæſar, ut hiſtoriæ produnt, cum ingenti Eccleſiæ & Imperii commodo præſtitit, & effecit.

9. Ferdinandus II. eâdem Auguſtiſſimâ Stirpe feliciſſimus Cæſar, qui cùm eſſet in Captivos munificentiſſimus voluit pariter à ſubditis ſuis, ut copioſior redemptio foret, hanc imitari munificentiam: Quare mandavit Comiti Adolpho Michaele ab Altham, viro laudatiſſimo, ut pro redimendis è captivitate Turcica Captivis ab officio & munere quolibet, quorum per regna & provincias innumera ſunt, triginta tres aureos hungaricos exigeret, uti numeroſum, ſic opportunum planè afflictis futurum ſubſidium.

Nieremb. Virtus coron. parte 2. cap. 4. §. 1.

10. Auguſtiſſimus noſter Leopoldus I. noſtro ſæculo feliciſſimè Imperans, cui non vanè ſed verè totus ſubſcribit mundus: *in Te uno cuncta leguntur ornamenta Domûs.* De quo parum dixiſſe, detraxiſſe multum eſt; ſola Æternitas digna virtutum ejus Encomiaſtes, quæ licèt ſe occultare modeſtè fatigent, cernimus illas tamen, nec egemus teſtibus: publicæ Cæſareæ ſunt virtutes, publici ſplendoris: quantis verò aureis his ſplendoribus noſtra irradietur Redemptio, ut illuminet eos qui in tenebris,

&

& in umbra sedent, vincti in mendicitate & ferro, nec est mihi fas eloqui, sublimiorem illa in futurum exigunt calamum

11. Et Serenissimi Josephus I. Romanorum & Hungarorum Rex, Et Carolus III. Hispaniarum & Indiarum Rex, Magni Parentis Magni Filii, uterque, uti Patris Leopoldi, ità & omnium Augustissimorum Majorum suorum egregiè æmulantur Virtutes, Misercordiam erga Captivos sibi habent congenitam, quæ operibus toti orbi perorat facundiùs, quam quisquàm verbis vel eloqui queat: nostrum igitur est Regem Regum & Dominum Dominantium continuis invocare precibus, ut Domus hæc in finem mundi usque in victoriosas Laurus floreat, & communia Gentium effiant vota:

Hæc Domus Austriadum cunctis dominabitur ævis,
Et Nati Natorum, & qui nascentur ab illis.

Videlicet ut bene Laureatus, Cæsaris & Regis Poëta Guilielmus o Kely canit:

Sceptra alii teneant armisque dolisque Monarchæ:
Austriacis dederat Sceptra regenda Deus.
Quicunque Austriacis præsumit demere Sceptrum,
In magnos habeat jus prius ille Deos.

Ergo, ut Ovidius lib. 3. Tristium, quod sit triste invidis:

Perpetuò terris imperet ista Domus.

Verùm hic plausus non absque luctu, hoc gaudium non absque tristitia nunc contingit Austriæ, quia solùm in hoc infelix, quòd suo summè amabili Principe, & Archiduce Carolo carere debeat, & ut labentem Hispaniam Sororem suam sublevet, seipsam tanto bono privare necesse est. Quare ut præmentionatus o Kely.

Duæ Sorores, Austria, Iberia,
Fuère nunquam dissociabiles:
Mutatio fatalis ô quæ!
Quid Superi minitantur Orbi?

Sese ecce privat lumine ut Austria;
Ne desit altrum lumen Iberia:
Altrûm Vienna das ocellum,
Diis genitum, Carolum serenum.

Quantus cadenti nasceris Hespero!
Et quantus aurato exoreris Tago!
Sol ut tua occidis Vienna,
Sol, ubi obit, radiosè surge.

Profundo Iberus dives ab alveo,
Tagusque arenis dives ab aureis:
Uterque dives sit deinceps
Divitiis magis hinc receptis.

Belga, Britani, terribiles mari
Gentes, fatigant æquora classibus;
Heroa portu jam morantur,
Fluctibus æquoreis vehendum.

Eia feliciter! perge igitur, quo te tot gentium vota vocant, flantibus Favoniis, faventibus Zephyris, per tumentes æquoris fluctus, per remugientes adversariorum procellas securus naviga; tot Heroum Comitatus turmis, tot remigantibus Argonautis, Jasonides, Britanæ, Medeæ adminiculo Vellus Aureum, quod tibi jure debetur, gloriosus recupera. Fiat, vox Populi, vox Dei: vox Fori, vox Chori; quare & nos corde, & ore Davidico carmine ingeminamus. *Domine in virtute tua lætabitur Rex: & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis ejus tribuisti ei: & voluntate labiorum ejus non fraudâsti eum. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus Coronam de lapide pretioso.* Ità pro nostro Principe ad Deum cum Regio Propheta oramus, & cum universi Populi oratione prophetamus.

Psal. 20.

CAPUT XX.

De Regibus, cæterisque Principibus tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, qui Redemptionem Captivorum promoverunt.

1. Mille Heroes vocavi in Theatrum, dum Augustissimæ Austriacæ Domus feci mentionem, & equidem verum, innumeros omnium Gentium Reges, Principes tam Politici, quàm Ecclesiastici Ordinis, qui singularem in Redemptione Captivorum navârunt operam, ciere possem; sed quia jam molior descensum, quosdam ovios atque notiores admirandos simul & imitandos produco, probè gnarus illius Claudiani: *Mobile mutari semper cum Principe vulgus.* *Claud. de 4. Consul. Honorii.*

2. Libro 1. Regum legimus, cùm Saul electus à Domino primus Rex in Israël à Samuele Chrismatis Oleo esset delibutus, non tantùm solemni osculo à Propheta in Regem inauguratus, sed (*Quia Oleum*, teste magno Gregorio, *misericordia bonum significat*) Christi, id est, Uncti, imò & Redemptoris Dignitate & Officio decoratus est; quod ungentis Prophetæ verba declarant, quæ pro essentiali illius Regiæ Unctionis forma ex Spiritûs Sancti instinctu prolata fuisse, ex ipsa Historia Sacra apparet, nimirum: *Ecce unxit te Dominus super Hæreditatem suam in Principem, & liberabis Populum suum de manibus Inimicorum ejus.* Et sanè ille propriè & legitimè Rex est, qui est & Redemptor; qui Redemptor non est, nec Rex citra Regiæ Dignitatis injuriam dici potest: manifesta patet hæc in exemplo veritas, in ipsa scilicet æterna veritate Christo, qui licèt Rex Regum esset, Titulum Regis nec unquam admittere voluit, priusquam se clarè Redemptorem demonstraret, imò ut Evangelista meminit, *Cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in Montem.* Quibus nos Cœlestis Magister instruere voluit, tunc sibi propriè decere

1. Reg. c. 10. *S. Greg. lib. 4. cap. 5. in 1. lib. Reg.* *Reg. Ibid.* *Joan. cap. 6. v. 15.*

decere Titulum Regis, cùm in Monte Calvariæ perficiet Redemptionis Opus, quod & factum: *Scripsit autem & Titulum Pilatus: & posuit super Crucem. Erat autem scriptum, Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Ideo nimirum Rex, quia Redemptor.

Joan. c. 19.

3. Quare ut ordiar ab occidente, Alphonsus I. propriè Hispaniarum Rex erat, quia & Redemptor; eum enim ita citatus commendat Nierembergius: *Munificus in redimendis restituendisque Captivis apud Infideles, occasionem viamque sternebat passim, quâ eripere se vinculis corporis animæque tutò possent.* Nec reticendus Alphonsus VIII. erga Captivos ut octo munificus, S. P. N. Joannem Mattensem in ipso fundationis primordio in Redemptione Captivorum insigniter adjuvit, imò & partem sui Palatii Burgis ad erigendum Ordinis Cœnobium cessit S. Institutori.

Nieremb. Virtus Coron. cap. 3. §. 3.

Baro ad ann. 1207.

4. Henricus III., quem nullo dempto omnes nunc sequuntur verè Catholici Reges, egregiè promovit Redemptionis negocium: hic omnia bona inventa, quæ deperdita sunt, & quorum Dominus ignoratur; & hæc vulgari linguâ *Monstrencos* vocant: etiam bona aliàs deperdita, & inventa in Mari, aut Fluminibus, vel in litore Maris, sive Fluminum, etiamsi sint eorum, qui naufragium passi sunt, illorum autem Dominus non invenitur; quæ similiter vocant *Algarivos*: pariter quintum bonorum defuncti qui decessit ab intestato, quin haberet hæredes, qui ex Jure tunc illi succederent, scilicet cognatos usque ad quartum gradum in linea recta sive collaterali, neque conjugem ex mente Vasquez; quod vulgò *Quintos* vocant; & tandem quæ *desemparentados* dicuntur, sunt autem illa, quæ super fuerunt post soluta legata relicta consanguineis à testatore, qui in testamento hæredem in re certa non instituit, vel quando testator nullum habens consanguineum intra quartum gradum, extraneis reliquit legata: quibus solutis, adhuc supersunt bona, quia hæredem non instituit. Quæ omnia cùm Jure ad Regium Fiscum pertinerent; *Desiderans*

P. Josephus à Jesu Maria in Scholiis N. Bullar. pag. 156.

Vasq. opusc. de testam. cap. 4. §. 3. num. 65.

Martinus.

rans autem hic piiſſimus Rex, ut loquitur Diploma confirmationis, *ſe hujuſmodi boni, & pii operis participem fieri, omnia bona, videlicet, Quintos Monſtrencos, deſemparentados, & Algarivos vulgariter nuncupata, & nonnullas alias res, ad eundem Regem ſpectantia, ac in Regnis, & Dominiis ſuis conſiſtentia, cum omnibus Juribus & pertinentiis ſuis, Miniſtris ac Fratribus Ordinis SSS. Trinitatis pro eorundem Fidelium Redemptione liberaliter conceſſit & donavit.* Quam conceſſionem Martinus V. Pontifex Maximus Romæ idibus Novembris anno 1421. confirmavit. Joannes II. tam paterni ſolii, quàm regiæ hujus pietatis ſucceſſor & hæres, eandem confirmatam ratamque voluit, quod denuò Sixtus. IV. Sum. Pontif. approbavit, & perpetuæ atque inviolabilis firmitudinis ac roboris eſſe voluit, publico nimirum diplomate, Romæ ad S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1474. Kalendis Julii emanato. *V. Bulla incip. His quæ pro Statu.*

5. In Portugallia omnes Reges invenio Redemptores; & in primis quidem Alphonſus V. qui anno 1438. Eduardo Patri ſuo in Regno ſucceſſit: hic propter intenſiſſimam Charitatem erga Captivos per antonomaſiam, ſive per eccellentiam dictus eſt REDEMPTOR CAPTIVORUM. Et non immeritò quidem, nam totum Regium ærarium in Redemptionem Captivorum deſtinavit. Verùm nimius, & extra limites erat hujus Regis Zelus in Redemptionem, quem Sacer Ordo SSS. Trinitatis graviter tulit, quia eidem, & juribus ejus in magnum præjudicium. *Caribay compend. Hiſt. Hiſp. lib. 35. cap. 13. tom. 4.*

6. Rex enim vehementer inſtitit, ut ſibi noſtri Luſitani Trinitarii concederent hujus Sacri Inſtituti adminiſtrationem; ſed huic prætenſioni vetuſtiſſima Ordinis Profeſſio, & Poſſeſſio obſtitit: nec deſtitit ferventiſſimus Rex, quin prædictam adminiſtrationem ad dies vitæ tantùm inſtantiſſimè poſtularet. Difficilis adhuc propoſitio apud Patres erat iſta, utpotè quæ ſit immediatè contra Bullas Apoſtolicas, & contra Jura omnia Ordinis, cujus proprium, & Canonicum Inſtitutum eſt. Sed ſive hoc negarent, ſive concederent Regi, in utroque

gravissima aderant inconvenientia; tandem contrapositis & ponderatis, utrisque visum est Patribus minùs inconveniens limitato tempore suo juri cedere, quàm se opponere regiæ, & tam duræ voluntati; ne igitur incurrerent disgratiam Regis, & averterent damna & incommoda, quæ ex ira Regis Conventibus & Religiosis evenire possent, nunquam audito exemplo, prudenter tamen tot rationibus pressi, & necessitati resolverunt, *Concedendam esse Regi ad vitæ suæ tempus tantùm administrationem Redemptionis, quo finito administratio, & exercitium ejusdem ad proprios Possessores Patres revolveretur.* Fit ergo inter Regem, & Patres Pactum Ulysipone die 31. Julii anno 1461. Rex sibi magnâ sui gratulatione administrationem Redemptionis assumit, Patribus verò pro Conventibus Lusitaniæ, & eorundem Religiosorum Regiam provisionem quotannis octuaginta millia regalium assignantur.

7. Anno Domini 1481. Rex Alphonsus tandem expiravit, & cum eo administratio & jus, quod ex pacto Rex Lusitaniæ in Redemptionem habuit. Successit ei Joannes II. ejus Filius, & post istum Emmanuel unicus hujus nominis regium conscendit solium, sed unus & alter administrationem Redemptionis sibi arrogârunt. Protestantur Patres, pactum Alphonsi Regis allegant, restitutionem sui proprii Instituti repetunt; verùm surdis canunt. Tandem post multa Romam recurritur, & coram Summo Pontifice Alexandro VI. contra Regem agitur negocium. Summo Pontifici cùm hæc Causa delata & cognita fuisset Anno Incarnationis Christi 1498. contra Emmanuelem Regem, & Episcopum Tingensem, cui collectio eleemosynarum pro Captivis per suos Ministros incumbebat, Apostolicas expedivit literas, gravibus pœnis & censuris Ecclesiasticis mandando, ut restituatur Religiosis Trinitariis administratio & exercitium Redemptionis Captivorum, cum omnibus pertinentiis & juribus secundùm Bullas Pontificias. Sed necdum apud Regem & Episcopum res venit ad effectum, promittunt, &

& differunt; difficile enim erat Miniſtris & Collectoribus deſerere ſalaria, quæ ex collectione eleemoſynarum percipiebant.

8. Rex Emmanuel Anno 1521. moritur, & pro Captivis annuos bis mille & quingentos aureos teſtamento legavit, cujus exemplum imitata eſt ejus Sereniſſima Filia D. Maria, quæ pro eadem Redemptione ſexcentos & quinquaginta aureos annuos aſſignavit: Regia certè pietas erga Captivos. Defuncto Emmanuele Rege ſucceſſit in Regno Filius ejus Joannes III. qui memor eorum, quæ cum Præceſſoribus ſuis circa Redemptionem contigerant, mandatum Alexandri Pontificis exequi ſtuduit, reſtituendo Patribus Trinitariis adminiſtrationem Redemptionis in eadem forma, uti ante Alphonſum in ordine viguit, ſolummodò circa collectionem eleemoſynarum per regnum inveniendus videbatur modus, quo minore onere & moleſtiâ Religioſorum, majori verò fructu pro Captivis congregarentur eleemoſynæ; ſed hujus tam juſtiſſimi conatus inimica mors effectum impedivit, obiit enim Rex Anno Domini 1552.

9. Tandem eſt in Regno Succeſſor Sebaſtianus, Joannis III. Nepos, qui cùm minorennis, ætatis ſolùm trium annorum quatuor menſium & 21. diebus ſub tutela Catharinæ Reginæ & Viduæ Joannis III. relictus eſt, quæ ut Gubernatrix Regni tot annorum jam agitatum negocium feliciter in finem deduxit: Nam D. Petrum Sanchez unum de Primariis ſuis Miniſtris Plenipotentiarium deſignavit, qui cum Rev. P. Provinciali Ordinis SSS. Trinitatis Luſitaniæ (qui pro tempore fuerat V. P. Rochus à Spiritu Sancto, Vir multis virtutibus & prophetiæ dono clarus) negocium conferret, quidque magis conveniens Inſtituto Ordinis, & utile Redemptioni Captivorum amicabiliter per modum tranſactionis determinarent. Cumque inter ambas partes celebrata fuiſſet commiſſio, Patribus adminiſtratio Redemptionis ex integro pro primo reſignata fuit, circa collectionem verò eleemoſynarum viſum fuit, non poſſe habere tantum

S 2 augmen-

augmentum Redemptionem, si per Religiosos eleemosynæ colligerentur, quàm si ipsi Reges per suos Ministros illam curarent, qui per suam authoritatem faciliùs & plura legata obtinere, mulctas & pœnas pecuniarias pro Redemptione Captivorum statuere, & exequi possent, & mille modis prodesse Captivis nôrint. Prætereà hâc ratione excusarentur Religiosi à longis itineribus, molestis distractionibus, magnisque laboribus, quorum plurima in collectione eleemosynarum obveniunt, & tamen hâc religiosâ recollectione & abstractione copiosiores eleemosynæ pro Captivis colligerentur.

10. Transactum est ergo & conclusum, ut procuratio eleemosynarum cederetur Regi, ille constitueret Syndicos, Collectores, & ab iisdem rationes acciperet, legata pia exequeretur, & omnia alia ad majus Redemptionis augmentum provideret; executio verò eleemosynarum, & Redemptio Captivorum propriè spectaret ad Religiosos SSS. Trinitatis. Sicque provisum est, ut absque præjudicio Instituti, & Captivi majus suæ Redemptionis solatium per copiosiores eleemosynas habere, & Religiosi absque distractione commodiùs Deo servire possent. Contractus per Reginam Gubernatricem Ulissipone die 7. Junii Anno 1561. centum planè Anni à cessione administrationis confirmatus est, & postmodum à Pio V. Summo Pontifice sub datis Romæ ad S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1566. decimo *Kalendas* Februarias Anno Pontificatûs II. confirmatus & ratificatus est, qui hodie ad omnia puncta exactissimè observatur.

11. Jam de Portugallia in Galliam maturandum, de cujus Regibus unicum, & quidem Sanctum sistere sufficiat Ludovicum IX. qui dum Anno Domini 1250. in expeditione Damiatæ infelicem Martem expertus fuisset, unà cum Nicolao VI. S. N. Ordinis Majori ac Generali Ministro ejus individuo comite à Saracenis captus, & propè Damiatam ad vicum Amassoræ longam tolleravit Captivitatem; Sed hæc Captivitas pluribus extitit Redemptionis

Baro ad ad ann. 1250.

ptionis occaſio, quâ & optimè uſus eſt pius Rex miſeras ſuorum militum aliorumque Chriſtianorum vices miſeratus, aliquot mille ex immani Saracenorum tyrannide liberavit: Quare non abſque levi cauſa Eccleſia de eo legendum in ſuo feſto proponit: ***In oriente commoratus plurimos Chriſtianos à Barbarorum Servitute redemit.*** *Breviar. Rom. die 25. Auguſti.*

12. Anglia olim in Sanctitate florentiſſimum Regnum præter plurimos Reges, qui (dum ibidem incorrupta florebat Religio) fuêre Redemptione inclyti, Sanctum Regem Guilielmum ſiſtit admirandum; hic enim pio Redemptionis intuitu Aberdonæ Regium Palatium in Trinitarium ceſſit Monaſterium, ibique quinquaginta duobus Religioſis, & eorum Inſtituto regiâ liberalitate providit: Statuit porrò Rex, ne ullus Religioſus hoc in Monaſterio degeret, qui parentes non haberet Barones, vel ad minimum Equites. Tandem ipſe Guilielmus loco Purpuræ aſſumpto noſtri Ordinis habitu, Trinitarius & Rex in eodem Monaſterio piè vixit, ſanctè obiit, miraculis clarus. *Baro ad ann. 1211.* *Hector Boetius in hiſt. Scotiæ lib. 13. pag. 50.*

13. S. Margarita Regina Scotiæ non minùs in Redemptione Captivorum celebris, hæc enim innumerabiles planè Captivos dato pretio libertati reſtituit, ut Alredus Abbas teſtatur in ejus Vita. In Bohemia S. Wenceslaus quòd Captivos liberaverit Romanum refert Breviarium die 28. Septembris.

14. S. Ladislaus Rex Hungariæ, ut Hiſtoria tradit, dum Tartarus Adoleſcentulam quandam proximo vico ereptam unà ſecum equo vectaret, ut Captivam & Chriſtianam Rex eſſe intellexerat, omni contempto periculo perſecutus eſt raptorem, & initâ monomachiâ hoſtem proſtravit, ſervavit Virginem, ipſe ob facinus immortalem conſecutus eſt victoriæ Laurum, imò & Virgo, cujus puritatis erat defenſor & ultor, ipſi velut altera Daphnis ceſſit in laurum.

15. Sed demùm recentiora repetamus in Polonia (in quo Regibus Coronidem impono) felicis memoriæ Joannes III. Rex Sereniſſimus, hic poſtquam cum in-

genti suorum multitudine ad soluturam ab obsidione Turcarum Viennam Austriæ anno Domini 1683. properâsset, ubi tota Christianitas laborâsse videbatur, non ultimum inter ejus præclara merita numeres, quòd nimirum ipse Rex cum toto Regno Poloniæ sacrum Nostrum Ordinem invitaverit, ut in dicto Regno erectis Conventibus Redemptionis Captivorum laudabili nostro Instituto incumberemus; effectum est hoc medio Illustrissimi D. Casimiri Denhoffen Episcopi Cesenensis, Abbatis de Claratumba, pro tempore Romæ Oratoris extraordinarii ejusdem Regis apud Sedem Apostolicam, & postmodum Commendatoris Spiritûs Sancti de Urbe, ac demùm Eminentissimi S. R. Ecclesiæ Cardinalis: Ubi nunc in publicum totius Regni commodum insigniter floret Redemptio Captivorum, pridem jam ibidem vel maximè necessaria ob confines Tartaros Gentem populatricem. Acta sunt hæc tempore SS. D. N. Innocentii XI. Pontificis Maximi, cujus literas ad Poloniæ Regem datas apponere juvat.

Charissimo in Christo Filio nostro Joanni Poloniæ Regi Illustri.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Charissime in Christo Fili noster.

ORdo Fratrum Discalceatorum arctioris Observantiæ Sanctissimæ Trinitatis adeo præclara in locis, in quibus radices egit, singularis pietatis, religiosæ præstantiæ, incensique in redimendis ab Infidelium servitute captivis Zeli edidit documenta, ut libenti prorsus animo, juxta Majestatis tuæ vota, ejusdem Ordinis Professoribus facultatem tribuerimus Ordinem ipsum in isto Regno propagandi. Meritò enim con-

confidimus fore, ut in Polonia quoque iisdem, quas suprà diximus, laudibus floreat, seúque similis esse pergat. Etsi autem supervacaneum duximus nostris ad Majestatem tuam commendationibus prosequi dilectos filios Patres Joannem sancti Antonii, & Franciscum à Conceptione, qui unà cum Socio illuc proficiscuntur, cum satis tibi ad eos continenti patrocinio fovendos incitamenti futurum non dubitemus ab excellentia operis, ad quod incboandum vocati sunt, & ab ipsorummet spectatis virtutibus, ac prærogativis; deesse nibilominus charitati, quâ eosdem, & in iis Ordinem, quem profitentur, complectimur, profectò nobis videremur, nisi testatum hisce tibi faceremus, te ubi tam probatum, ac tam salutare Institutum istis in Regionibus promovere studueris, non solùm de illo, sed etiam de Nobis magnoperè bene meriturum. Qui interim Majestati tuæ à bonorum omnium auctore. Deo prospera cuncta impensè precamur, ac Apostolicam benedictionem amantissimè impertimur. Dat. Romæ die 14. *Aprilis* 1683.

16. Jam Principes Ecclesiasticos & Politicos Captivorum Redemptioni addictos pro merito quis referat, optarem, quorum ex omni parte ingens occurrit numerus, quem si pro dignitate prosequerer, non libellum sed justum volumen imò volumina complerem, cùm de lege quilibet Patrum Redemptorum libros habeat, in quibus omne Redemptionis augmentum notatur, inscribuntur Benefactores, & eorum eleemosynæ undecunque veniant diligentissimè exprimuntur. Quare ut prolixitatis onere nos excusemus, citra injuriam plures tam Ecclesiasticæ quàm Politicæ dignitatis Personas venerabundus prætereo. Nihilominus tamen, ut præsenti satisfaciam proposito, ex millenis paucos nostri sæculi,

ſæculi, qui in Redemptione Captivorum ſe preſtitêre admirandos, nefas eſt prætere: Videmus manifeſtè Eminentiſſimum D. D. Leopoldum S. R. Eccleſiæ Cardinalem è Comitibus à Kolonicz Archi-Epiſcopum Strigonienſem, &c. &c. inter plures totius Chriſtianæ Reipublicæ curas, huic tam ſancto muneri ità intendere, ut ſe totum illi tradidiſſe videatur, nam præter innumera beneficia, quæ ipſe præſtat Redemptioni, multoties ille admirandâ demiſſione ad frequentiores principalium Eccleſiarum in urbe fores, ut afflictis illis ſub jugo Turcico gementibus Captivis pararetur Redemptio, perſtabat colligendis eleemoſynis: quod pariter præſtitit ad biſores Eccleſias Celſiſſimus Erneſtus è Comitibus de Trautſon S. R. Imperii Princeps & Epiſcopus Viennenſis, cujus memoria in benedictione eſt, ut ità nullus pertranſiret, qui non vel eleemoſynam præberet, vel ad ſupremam tantorum Principum demiſſionem non erubeſceret.

17. Et Politici Ordinis Heroes ex innumeris quoſdam recenſeri obligationis atque Juſtitiæ ratio poſtularet, verùm cùm in futuris Deo Dante ſpecialia de progreſſu per Germaniam & Hungariam Redemptionis expectentur, deſiſto; pro nunc de antiquis commemorâſſe ſat eſt, Inæſtimabilem Heroem Nicolaum Eſtoras, de quo in quodam Cæſareo diplomate à Leopoldo I. Auguſtiſſimo Imperatore, ſub titulo S. R. Imperii Principis **Paulo** Eſtoras Regni Hungariæ Palatino anno 1687. dato, hæc invenio: *Quippe dum Generalis Partium Transmontanarum & Præſidii Uyvar, confiniorumque annexorum ſummus Capitaneus eſſet, Ibrahimum Boſnia Baſſam ex Moravia redeuntem exiguâ ſuorum manu fortiter aggreſſus, poſt cruentum prælium fugârit, & ſex penè millia ciciderit, Chriſtianorum verò captivorum ultra quatuor millia ab eodem Baſſa dira ſervituti jam tum mancipata liberaverit.* Quod hic victrici dextrâ, & nunquam interiturâ ſuorum Gloriâ in eliberationem tot Captivorum executus eſt; hoc idem non impari laude adjutrice manu plures præſtant inſignes Heroes.

C A-

CAPUT XXI.

De quibusdam nostris Patribus, quorum plures pro Captivis obsides, in Redemptionis negotio Vitam, & Sanguinem profuderunt.

1. OMnes nostri Redemptores sunt destinati Martyres, cùm rarò vel nunquam sit aliqua Redemptio, quæ sine passione contingat; & licèt aliquando in hoc arduo negotio vitam & sanguinem non prodigant, attamen semper mille vitæ periculis se exponunt, ex corde parati, si pro Redemptione & animarum salute necesse fuerit, vitam & sanguinem profundere; quare nostris Redemptoribus apprimè congruit, quod olim S. Hieronymus Maximus Ecclesiæ Doctor in S. Joanne Apostolo & Evangelista commendavit, nimirum: *Videbimus Martyrio animum non defuisse, & bibisse Joannem calicem Confessionis, quem & tres pueri in Camino ignis biberunt, licèt persecutor non fuderit sanguinem.* Multis morte stetit Redemptio, nullis defecit Martyrii desiderium, omnibus vel sunt plurima perpetienda incommoda, vel subeunda pericula, quæ non absque specialissimo Dei auxilio superantur.

S. Hieron. lib. 3. comment. in Matt. c. 2.

2. Rem exemplis contestemur: Ipse Sanctissimus Proto-Parens noster Joannes Mattensis expertus est, quòd suis in futurum instaret, atque aliquando impenderet Filiis superandum. Huic, inquam, semper cogitanti ob oculos versabantur Barbarorum carceres; & afflictæ Captivorum imagines vocabant in Redemptionis executionem, quibus per proximum suum adventum exitum spondebat; unde omnis moræ impatiens emendicabat eleemosynas, multiplicabat lytra, & totus quantus procurandæ vinctorum libertati imminebat. Quare ut iteratò opus Redemptionis præstaret suâ præsentiâ, Romam & omnes ejus commoditates atque plausus deseruit, & citatis velis, velis citatiori solvendorum compedum desi-

 derio

derio in Africam Tunetum trajecit: adventus ejus Captivis erat gaudium & exultatio, utpote de quo sibi quisque optatæ libertatis felicitatem ominabatur, neque suâ spe decepti, protinus enim cœpit adire carceres, colligere Captivos, de lytro cum Dominis tractare, licitationem consignare, simul omnibus pòst soluturus; sed cùm jam ducentos & viginti Captivos exsolvendos haberet, Charitas facultatem superavit; supererant exsolvendi Captivi, deerat pecunia, solutionis medium. Quid factu opus? Ab avaris Agarenis quid remedii vel crediti sperare, vanum, ad carceres, & ad vincula remittere Christianos, quos redempturus venerat, piissimo Redemptori erat impossibile; anxietatis causam cognovêre Barbari, simul & fremuêre, accendente eos indomitâ avaritie & vindictâ, quos ut mitigaret, seipsum obsidem spondet Sanctus Redemptor; sed contrà illi accensi furiis, se hâc monetâ non convenisse reponunt, quod tum ille patienter ferret, modesteque taceret, ampliùs illi malesuadâ avaritiâ, & insano accensi furore perinde ac in impostorem irruunt, & veste spoliatum crudeliter eundem verberantes semimortuum & exanimem relinquunt: paulò pòst, ut fugientes præ dolore collegit spiritus, & sibi redditur, Iconem B. V. Mariæ, quam pectori appensam gerebat, profert: profundo suspirio Matrem Redemptoris, Auxiliumque Christianorum ardentissimè Virginem per decidentes lachrymas compellat, & orat, dignaretur sibi & Captivis Præsidium adesse, sibi opem, Captivis Lytrum ferre. Vix finit Orationem, ecce adest supplici ornatâ cœlesti pulchritudine Virago, illa nimirum (ut firma fides est) quæ Christo ad universi humani generis Redemptionem purissimum suum de corde sanguinem concessit; illa pariter Joanni secundo Redemptori tantam auri substantiam porrigit, quanta Redemptioni plenariè satisfaceret. Igitur cœlestibus nummis ipse lætus & dives, Barbaros contentos, Captivos consolatos reddidit, fidemque in Deum, ejusque piissimam Matrem, uti jam ante ejus adjutorium in simili expertus est Valentiæ, prædicat,

dicat, jamque Redemptos fiduciâ in Christum Redemptorem animat, quæ cùm Agareni in suorum & Mahometi calumniam interpretarentur, indignati, novam nocendi occasionem quæsierunt, cùm eum jam ferire non auderent, aliud cæperunt consilium, quo in eum suam bilem amariùs despumarent; quamobrem malos navigii, quibus veherentur, truncârunt, ut ità vel ventorum ludibrio, vel evidenti naufragii periculo exponerentur. Sed Vir Sanctus confisus Altissimo, qui dominatur potestati maris, & ei venti obediunt, velis pallium substituit, & magno spiritu extendit in auras atque elatâ voce insonuit: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus; & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus.* Psal. 67. His Præsidiis Redempti magnâ fide navigium portu solverunt, subitò spectantes barbari urbesque & regna recedere, imò & fugere visa, & sex horarum intervallo Tuneto Romam quadringenta milliaria feliciter navigârunt.

3. Et hæc erat in Sanctissimo Proto-Parente nostro, & Antesignano Joanne prima probatio, quem plures ejus Alumni gloriosos agones in Exercitio Redemptionis perferentes secuti sunt, & quidem Anno decimo post Sancti Institutoris obitum, Anno scilicet 1224. P. Robertus Victorianus, & P. Cornelius natione Angli, dum Algerii Christianos ab Infidelium carceribus liberare conarentur, illis à Barbaris guttura incisa sunt, & pretiosâ Martyrum morte fortiter occubuerunt V. Nonis Maji.

4. Nec multò pòst Anno, nimirum 1231. duo nostri Ordinis Patres Galeranus de Perillas, & Petrus Dalmao ex Conventu Illerdensi plurimorum lytro Algerium profecti sunt, cumque pecuniam omnem pro Redemptione Captivorum expendissent, jamque in Patriam redirent, ab ipsis perfidis Mauris insecuti, & comprehensi, & unà cum ipsis Captivis in mare præcipitati sunt.

5. Iterum Anno 1243. Berengarius & Rudolphus collectâ ex Monasteriis Angliæ & Scotiæ Redemptionis pecuniâ, Tunetum profecti sunt, & quidem feliciter 260. Christianos à Servitute Maurorum exemerunt; sed

cùm in Patriam reverterentur perfido consilio à Mauris intercepti, & pro exploratoribus Angliæ Redemptores in carcerem detruserunt, atque non multò pòst, omnes in ignem conjecerunt, non tantum profuturi, si humaniùs processissent cum eis, nam fruuntur nunc Gloriosi Martyres æternâ in Cœlis libertate, & meritò dicere possunt: *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Psal. 65. v. 12.

6. Anno 1269. P. Rudolphus Anglicus ex Comitatu Cantiano, Conventûs Montydunensis Provinciæ Angliæ, Doctor Theologus Cantabrigensis, Minister Provincialis per Angliam (& ut ab Authoribus describitur) Vir undequaque doctissimus, hic assumpto Socio Richardo multis pro Deo & proximo exantlatis laboribus ex Civitate Tunisii trecentos & undecim Captivos in libertatem asseruit; quos in suam cujusque Patriam dimiserunt Redemptores, ipsi obsides pro pretio aliquandiu ibidem remanentes. Interim in horridum fœdumque Carcerem detrusi, in quo non multo pòst in odium Fidei capitibus plexi sunt.

7. Hos secuti sunt alii duo invicti Martyres P. Claudius nimirùm Majoricensis, & P. Joannes ejus Socius; hi cùm Algerii quingentos & nonaginta redemissent Captivos, deficiente pecuniâ, seipsos in obsides tradiderunt, mox à Mauris in horridum Carcerem detrusi sunt, ubi primùm multis tormentis & vexationibus affecti, pædores illius invicto animo pro Christi nomine tollerârunt, demùm contra omne fas in odium Fidei Orthodoxæ capitibus plexi fuêre, eorumque exuviæ furenti Maurorum rabie in rogum injectæ, in cineres sunt redactæ.

8. Tetuani P. Franciscus Trussisal postquam plurimos à vinculis liberâsset Christianos, deficiente lytro ipse pro pignore remansit, mox in vincula conjectus omnes Maurorum injurias expertus, in carceribus emisit spiritum, cœlesti pace & æternâ libertate fruiturus.

9. Sic etiam Eugenius cognomento Macseixan Hibernus, SS. Theologiæ Doctor, Minister Provincialis per Hiberniam, ter Christianos captivos à barbaris pretio rede-

redemit; in secunda redemptione cùm æs totum in Christianorum libertatem impendisset, occurit illi captivus Presbyter ingenti calamitatis mole oppressus, quem Eugenius servitute liberum dimisit, seipsum in promissi pretii pignus Barbaris tradens, apud quos captivus mansit, usque ex Atharienfi Cœnobio redemptionis pretium fuerit missum: jam liber quartam quoque tentavit Redemptionem, quare cum duobus sociis Ordinis Professoribus pro Christianis redimendis Constantinopolim adiit, ubi cùm Patres à perfidis totâ pecuniâ spoliati, in ignem vivi conjiciuntur, corporibus in cinerem versis, immortales animæ in cœlum celeriter demigrârunt, sequenti nocte candidis sui Ordinis vestibus induti, capita coronis redimita, manu palmas gerentes, & pectora crucibus ornati ad ostium domûs Judicis, à quo judicati fuerant, consistentes, jusserunt eundem impium vitæ institutum mutare, Christianorum Religionem amplecti, confirmantes, aliter in æternum damnaturum.

10. Maurochii Ignatius Janarez eâdem palmâ sed, ut opinor, majori proventu illustrior Captivorum Redemptor, qui dum numerosam Christianorum multitudinem persoluto redemptionis lytro remisisset ad patriam, septem pueros abnegato Christo in Mahumetismum defecisse audivit; hunc consternatus ad nuntium extrema tentavit, ut eosdem ad Christum desertam viam, veritatem, & vitam reduceret, quod ità feliciter effecit, ut Pueri Mahometi sectam publicè abjurarent, parati & sanguinem pro Christo effundere, quod cùm barbaris innotuisset, in humidum & angustum projectus est ergastulum, ubi contractâ tabe per plurimas ærumnas lentâ morte consumptus est. Ibidem P. Joannes à Jesu Lusitanus dum sacrum redemptionis munus adimplere intenderet, in odium Fidei orthodoxæ lapidibus appetitus pro lapidantibus oravit, & tandem Gloriosus Christi Martyr occubuit.

11. Algerii tres Patres, quorum nomina Bernardus Monroy, Joannes Palacios, & Joannes de Aquila impiè

& crudeliter affecti sunt, & quidem sequenti ex causa: Hi cùm plurimos numeratâ pecuniâ redemissent Captivos, & horam solvere remigaturi in Patriam vellent, detinuit Nuntius acceptus de Fatima filia Hameth Axæ Principis, quæ à Christianis capta, & Savonam ducta, ubi se Sacris nostris initiàrat, nec redire in patriam volebat. Eo irritatus Gentilis Pater apud Magistratum effecit, ne Captivi cum Redemptoribus portu exirent, donec Fatima filia Patri redderetur; cùm res ad P. Monroyum delata fuisset institit apud Magistratum, ut exeundi copiam, quam pactus erat, auro faceret. Negavit ille, nisi Fatima restituatur. Cui Pater reposuit: id potestatis suæ non esse, neque sibi per legem licere Christianis Sacris imbutam ad Mahometanos reducere. Hinc ipse cum duobus sociis comprehensus in carcerem detrusus est: ibi cùm diù conclusi & malè habiti fuissent, ingens sterilitas ex nimio æstu accidit, promittentibus verò Patribus, se precibus suis pluviam exoraturos, paululùm custodia remissa fuit, ac impetratis imbribus annona viluit: sed neque hoc ad libertatem profuit. Iterum vincti & vexati, donec unus post alium pædore carceris & inediâ confecti, omnes interirent. Locum sepulturæ Mauri negàrunt, quem tamen Christiani pecuniis elicuerunt. Sepulchrum Deus miris modis decoravit, nam & radiis sæpè illustre splenduit, & floribus vestitum viruit: certante inter se cœlo & terrâ de honore illis cineribus impendendo.

12. Granatam P. Joannes Burgos pro eliberandis Captivis missus Redemptor, sed in via à Mauris captus omnibus redemptionis pecuniis spoliatus, Almeriam ductus est, ubi in fœtidum inclusus carcerem, acerbè flagellatus tandem gladio transfixus Martyrii Lauream obtinuit; de quo dici potest illud Apostoli: *Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ Redemptione inventâ.* *Heb. 9.*

13. Tunisii diversis temporibus in odium Fidei, & pro redimendis Captivis plures Patres capitibus truncati, & in

in ignem conjecti, commemorantur, omnes sancti Martyres, quorum nomina sunt Joannes, Petrus, Guilielmus, Richardus, Bartholomæus, Antonius, Dionysius, Claudius, Bernardus, Anastasius, Robertus Helphistonus, hic Scotus, cæteri Galli, hic & Confessarius Alexandri III. Regis, & ejusdem ad Urbanum IV. Orator.

14. Præterea Gregorium, Chromacum, Joannem Lensem Doctorem, Redmundum, Thadæum, Ohignium, aliosque septem & viginti Martyres liber Athariensis memoriæ commendavit, hi omnes ante Anglorum Hæresim Barbarorum furore diversis temporibus & locis pro redimendis Captivis peregrè consumpti sunt. Et paucos hos retulisse sufficiat, quorum plures pro Sanctis, plures pro Beatis Martyribus cultu immemoriabili venerata est Antiquitas; aliquorum verò nunc apud Sedem Apostolicam de solemni agitur Beatificatione: qui plura de his, & plures qui in Redemptionis negotio sanguinem & vitam prodegerunt, desideraverit, Annales Ordinis adeat. Ego dicto sapientissimi Hieronymi Mendoça, rem omnem concludo, nimirum: *Non loquor jam de Patribus Fr. Ignatio & Fr. Antonio à Conceptione, cæterisque Religiosis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, qui ibidem, Fessi nimirum, una ex præcipuis Mauritaniæ urbibus, mortui sunt, quandoquidem novum illis nequaquam est in hoc Redemptionis officio vitam cum morte commutare, tanto animi Charitatis ardore, sicut nos quotidiè oculis perspicimus.* Hæc Mendoça.

In Opere de finistro Sebastiani Regis bello Mauris illato lib. 2. cap. 9.

CAPUT XXII.

De multis, & copiosis Redemptionibus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis.

1. Perspectis jam hujus Sacerrimi Instituti excellentiis & perfectionibus, cognito fine & modo, circa quem idem occupatur, recensitis Captivorum afflictionibus, enarratis Patrum Redemptorum periculis & ærumnis, commemoratisque SS. Patrum, summorum Pon-

Pontificum, Cæsarum, Regum & Principum auxiliis & favoribus: & recti ordinis ratio, & præsentis operis Institutio vel maximè postulat, ut etiam de fructu & proventibus, de numero nimirum Redemptionum à sacro nostro Ordine peractarum summatim aliquid subjungatur: *Summatim* dico; quia exactum illarum numerum comprehendere, est impossibile, ut bene fatetur N. Bernardinus à S. Antonio Lusitaniæ Provincialis, qui ex professo omnes Generales Redemptiones, de quibus certam potuit habere notitiam, relictis innumeris privatis, in unum volumen collegit, & Ulysipone anno 1623. typis mandavit sub titulo, *Epitome Generalium Redemptionem, &c.*

2. Post nostrum Bernardinum multi & graves Scriptores quàm plurimum insudârunt, ut ad minus quarundam cognitarum Redemptionum Summam comprehenderent: Ægidius Consalez Davila Philippi III. Regis Catholici Historicus ab anno 1212. usque ad annum 1627. satis accuratè computans, invenit in solo Regno Castellæ & Legionis trecentas & sexaginta duas Redemptiones ab Ordine SSS. Trinitatis executas, in quibus præter plurium Sanctorum Corpora, Imagines, Reliquias, Agnos Dei, sacra Vasa, & ornamenta Ecclesiarum undecim mille octingenti & novem Christiani à captivitatis oppressione sunt redempti. In Provincia verò Lusitaniæ inventæ sunt viginti & novem Redemptiones, quibus quinque mille sexcenti & nonaginta novem sunt redempti. Aragoniam pariter sexaginta novem Redemptiones peregisse compertum est, in quibus decem millia & octuaginta Christiani libertatem consecuti sunt. Gallia, utpote quæ plures sub se continet Provincias & Conventus, ducentas & quinquaginta sex fecit Redemptiones, de numero Captivorum non constat, & si pro qualibet Redemptione tantùm centùm & viginti assignentur Redempti (certum enim est, plures fuisse, cùm hi communiter copiosiores olim fecerint Redemptiones) erit numerus eorum, qui à vinculis sunt exempti,

exempti, triginta millium ſeptingentorum & viginti. In Anglia Scotia & Hibernia, dum adhuc locupletes Conventibus Trinitariorum erant, trecentæ & quinquaginta quatuor numerantur Redemptiones. Et hic ſuccinctus eſt Computus Davilæ.

3. Jam de Conventibus & Redemptionibus Italiæ, Superioris Germaniæ, Belgii, aliarumque Provinciarum nulla fit mentio: Similiter in Imperio Conſtantinopolitano, in Terra ſancta magnus erat numerus noſtrorum Conventuum, qui ab inimicis noſtræ ſanctæ Fidei combuſti, ſolo æquati, Archiva verò & Protocolla, cæteraque monumenta, in quibus Redemptiones conſignabantur, Heu dolor! eâdem ruinâ conſepulta perierunt; niſi ex Macedone deſumas: *Ex Provincia Ruſſia ſexaginta alia Redemptiones in Perſiam & Tartariam ad annum* 1420. *exierant. Provincia Paleſtina anno* 1455. *cùm eſſe deſiit, ſeptemdecim ſupra centum Redemptiones fuerunt. Provincia Sicilia anno* 1551. *ſexaginta expeditiones redimendi causâ ſuſceptas commemorabat. Provincia Neapolitana anno* 1349. *octogenas ſenas cenſebat. Provinciam Germanicam ad annum uſque* 1414. *cùm jam turbari cœperat, centena quadragena terna inſignem reddiderunt.* Hæc Macedo. Corolar. 2. cap. 2.

4. Davilam Regium Hiſpaniarum Hiſtoricum, & præmentionatum Macedonem, ſecutus eſt N. Petrus Altuna Ordinis Chroniſta, qui ſuo diligenti computu hanc eruit Summam Redemptionum, verba ipſius huc transfero: *Cum feciſſem, inquit, computum ſecundùm numerum cujuslibet Provinciæ, tota cum diligentia, reperta ſunt Redemptiones mille trecenta & quadraginta & una; & in illis ſunt redempti ad Gloriam & honorem ſanctiſſimæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti circa ducenta millia Captivorum, ex omni ſexu & conditione, abſque aliis multis, Redemptionibus, quæ non ſciuntur, & aliis multis quæ non ponuntur.* Hactenus Altuna, qui anno Domini 1636. Generalem Ordinis Chronicon Segoviæ typis mandavit. Hæ Redemptiones cùm creviſſent uſque ad annum 1660. in quo Doctiſſimus P. Franciſcus Macedo Seraphici Chron. General. lib. 2. cap. 10.

Ordinis iteratò Trinitarias Redemptiones numerâsset, Redemptiones mille trecentas & sexaginta unam comperit, Redemptos verò tria supra ducenta millia in Summa conficere cum idoneis Scriptoribus testatur.

5. P. Franciscus Henriquez Ordinis B. Mariæ Virginis de Mercede multò majorem nostrarum Redemptionum deduxit numerum, & quidem in breviori tempore, cujus verba sunt hæc: *A tempore, in quo fundata est hac Sacra Religio, usque ad tempus P. Hieronymi Gratiani, qui fuit Annus 1585. facta sunt per Professores hujus Religionis mille quadringenta & quinque Redemptiones Generales, absque multis aliis particularibus, quas executi sunt hi Redemptores.* Quod si ità sit, multùm hujus Authoris computus superat Summam relatorum Authorum.

In Orat. Paneg. excell. 9. S. Agnetis.

6. Quod tamen ità esse, & multò plures fuisse Redemptiones, facilè quisque deduxerit, si magna Fidelium Pietas erga Captivos, & non interrupta diligentia nostrorum Patrum in executione hujus sacerrimi Redemptionis Instituti consideretur. Solus Conventus Burgensis (ut testatur Baro) ab Anno 1207. à quo cœptus, usque ad Annum 1647. ab Infidelium vinculis redemit centum viginti quatuor millia & octingentos Christianos; quorum omnium nomina pro majori rei certitudine descripta servantur in authenticis indicibus, & Archivis ejusdem Conventûs.

Baro ad ann. 1207.

7. Conventus Avinganensis & Illerdensis *junctim* in primis viginti duobus Annis, ab Anno scilicet 1201. usque ad Annum 1223. viginti duas fecit Generales Redemptiones; Redempti sunt verò in iisdem quatuor mille & nonaginta duo Captivi, ut ipsemet per singulas Redemptiones computavi. His accesserunt usque ad Annum 1239. decem aliæ Redemptiones Generales, quæ præcedentem numerum Captivorum augent usque ad quatuor mille nongentos & sexaginta unum. Et præter has Generales Redemptiones solus Conventus Illerdensis independenter ab Avinganensi fecit quindecim alias particulares Redemptiones, decima sexta hic non numeratur,

tur, quæ à Mauris ex odio Fidei Christianæ, & invidia libertatis unà cum Redemptoribus & Captivis in Mare præcipitata, periit. In his, inquam, quindecim particularibus Redemptionibus numeravi octingentos & quinquaginta duos Captivos, inter quos multi Ecclesiastici, nimirum tredecim Sæculares Presbyteri, duo Canonici Regulares S. Norberti, unus S. Augustini, duo Ordinis S. Dominici, tres S. Francisci, & quinque B. Mariæ Virginis de Mercede Religiosi. Sed cessârunt postmodum hæ particulares Redemptiones, ex eo quòd in Capitulo Monasterii Avinganensis Anno Domini 1243. celebrato statutum fuerit, ne imposterùm Conventus in particulari Redemptionem faciat, sed, cùm numerus Domorum augeatur, omnes Conventus totius Provinciæ, collatis in unum mediis, suas exequantur Redemptiones.

8. Ex ungue leonem cognosce; si hi duo Conventus in tam paucis Annis, pauperes, & in exordio suæ fundationis tantum fecêre fructum, quid totam hanc inclytam Provinciam plusquàm in triginta Conventus multiplicatam ad nostra usque tempora, plus quàm per quinque Sæcula effecisse, constabit. Præcipuè cùm propter crebras vicinæ Saracenorum Gentis populationes quàm plurimi terrâ marique ad miserandum Captivitatis Jugum abducti fuerint Christiani, & juxtà, indefessâ Charitate illorum Patres semper procuraverint Redemptionem, etiam seipsis sæpè spoliatis, ut media conquirerent, quibus Captivis subvenirent, uti testatur vetustissimus Scriptor N. P. Michaël Borellus in Theologia Doctor, & Aragoniæ Provincialis, cujus hæc sunt verba: *Nam pro redimendis Captivis juxta Regula Instituta permulta Domus alioqui divites, pauperes evaserunt, ut Domus Avingania, Domus Dertusæ & Domus Balagarii, & alia quam plurima: quarum aliqua vendiderant grandes possessiones, aliqua non modico persolvendo omni anno se devinxêre tributo. Quo factum est Charitatem Christi expoliare domus humilium Servorum suorum.* Neque hoc elogium solæ Provinciæ Aragoniæ est particulare, verùm toti Sacro Ordini est commune, & ne

In hist. de Ord. Instit. fol. 20. impress. Barcinonæ anno 1563.

 quis

quis hæc ut cujusdam particularis commentum vel arbitretur, vel criminetur, in veritatis testem Apostolicum Protonotarium Joannem Jennyn adduco: *Ità fervor hujus Ordinis Professorum* (verba sunt illius) *pro Sancto Instituto Redemptionis emicuit, & excrebuit, ut non solùm ipsa bona sua; & sacra Vasa, atque etiam Calices ipsos, ut diximus, pro Redemptione hominum alienaverit: verùm etiam seipsos usque ad mortem tradiderint.*

Vera Confrat. SSS. Trinit. cap. 8. §. 7.

9. Jam mihi quis referat Redemptiones omnes, quas Provinciæ Patrum nostrorum, qui de Observantia nuncupantur, fecerunt in Hispania. Gallia decem continet Ordinis Provincias Patrum sex nostrorum, Observantium, tres Mitigatorum, & unam Discalceatorum, quæ omnes suas fecisse Redemptiones mihi referunt oculati testes, quarum tamen in particulari certam notitiam non habeo; Provinciarum Lusitaniæ, Italiæ, Germaniæ, Belgii, eorundemque Patrum Observantium Redemptiones, nec facilis modus, nec tempus est mihi investigandi, solùm, quæ Domestica sunt, scio, & quæ presentia existunt, video: sola mea Reformata Discalceatorum primitivam Regulam profitentium Familia, quæ in Hispaniis solùm tres sub suo Ministri Generali, & absoluto gubernio Provincias & paucas domos his in partibus numerat, necdum elapso triennio quatuor fecit Redemptiones, quarum impressa exemplaria ad manus habeo, in quibus Octingenti & triginta & unus numerantur redempti Christiani; inter quos fuêre quinque Ecclesiastici, nimirum D. Joannes Garsia Galisteus Presbyter: F. Simon Capisa Ordinis S. Joannis de Deo: P. Joannes à Sancto Ildephonso, noster Trinitarius Discalceatus Conventus Zeuteusis in Africa Vicarius: D. Franciscus Vengozar Subdiaconus: & D. Joannes de Quiros Minorista. Insuper & Imaginem Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ plumbo fusam trium palmorum altitudinis deauratam, & pictam cum suo deaurato pegmate, quam Turca sub præsepe sui equilis indecenter habuit.

10. Meritò hæc speciali asterisco insignio, ut clareat

reat nullius conditionis vel dignitatis personas extra omnem Captivitatis aleam esse: quare si quis in similem miseriam, & afflictionem incideret (de qua Deus quemlibet custodiat, imò avertat) quomodo sibi beneficium Redemptionis foret æstimandum. Vix est Religio, cujus Religiosos non redemerimus; de multis solùm paucorum nomina refero.

Ex Ordine S. P. Benedicti, P. Bonaventura.

Ex Ordine S. P. Dominici, P. Joannes de Muro.

Ex Ordine S. P. Francisci, P. Antonius Romerus Diffinitor, & P. Alphonsus Calderon, & nunc proximè in Polonia P. Ignatius Nussinski.

Ex eodem Ordine Discalceatorum, P. Cherubinus à S. Luca, & ejusdem Ordinis Sancti Monialis Soror Isabella à S. Francisco, & plus quàm sexaginta alios ex eodem Seraphico Ordine referre facilè possem.

Ex Ordine S. P. Augustini, P. Hieronymus à Cruce.

Ex Ordine Carmelitarum, P. Nicolaus à Jesu Maria Procurator Generalis, & F. Josephus à S. Adalberto.

Ex Ordine S. P. Francisci de Paula, P. Alphonsus Videño.

Ex Ordine B. V. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, P. Antonius à Jesu.

Ex Ordine Observantium SSS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, P. Joannes Sorianus.

Ex Ordine S. Joannis de Deo Fratrum Misericordiæ, F. Simon Capisa.

Ex Societate Jesu, P. Julianus Fuenlabrada.

D. Petrus Machado SS. Theologiæ Doctor, cum innumeris Parochis & Petrinis, & tandem Illustrissimus ac Reverendissimus D. Didacus à Haedo Archi-Episcopus Panormitanus, cui adjungere possem quàm plurimos Nobiles, Equites, Barones, & Comites, atque diversis Militaribus Dignitatibus insignes Viros.

11. Sed hæc per modum Corollarii sufficiant; ad nostra revertamur: si igitur præsenti hoc triennio tam brevi tempore Respublica tam tenuis tantum in Redem-

ptione Captivorum (uti constat) effecit fructum, quid universum Ordinem tot jam sæculis florentem effecisse æstimandum est. Nescio enim quis specialis fervor in Sacro Nostro Ordine semper vigeat, omnes, licèt debiles & fracti valetudine, ad plenum oneribus, & periculis Redemptoris Officium sanctè anhelant, omnes illud exoptant & desiderant, quod si quis illud post multa tandem merita obtineat; qui non impenduntur conatus? Qui non sæpe ultra vires assumuntur labores? Quæ non curarum, & solicitudinum contentio? Ut quilibet Redemptor sui muneris tempore tantò plures, & eò numerosiores faciat Redemptiones. P. Didacus de Gayangos, ut Adrianus VI. Summus Pontifex in quadam Bulla commemorat, cùm propriæ facultates non sufficerent, multa Ordinis pignora vendidit, & pro Summa octo millium Ducatorum debita contraxit, ut inde Captivos Christianos redimeret, quare semel septingentos, & alterà vice quingentos Christianos in libertatem asseruit. P. Michaël à Virgine continuato sui Officii tempore mille quadraginta septem redemit Christianos captivos. P. Bartholomæus Seranus Civitatis Algerii in Africa sex Hospitiorum Administrator ab anno 1670. usque ad annum 1677. quo tempore ejus Officium duravit, mille ducentos Christianos redemit; inter quos fuêre quàm plurimi Apostatæ, & (ut vocant) Renegati Christiani, qui ipsius medio Sectam Mahometi abjurârunt, & ad veram Fidem reducti sunt, inter quos pariter quadraginta sex Lutherani suum cognoverunt errorem, detestati hæresim, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliati sunt, insuper quatuor Turcas ad Fidem Catholicam reduxit & baptizavit. P. Ferarius Grait circiter bis mille triginta redemit Captivos. P. Simon de Comargo quatuor mille, totidemque P. Rochus à Spiritu Sancto redemit Christianos, per quem Deus quàm plurima miracula, & stupenda prodigia operatus est. Plures adhuc N. P. Nicolaus Gallus VI. Generalis Ordinis redemit, quorum numerus supra quinque mille ascendit; & hoc pluribus an-

nis,

nis, paucioribus P. Joannes de Salis, unico nimirum in triennio Captivorum Christi Fidelium ex Infidelium carceribus ultra quinque millia liberavit: cui ita applaudit Bonaventura Baro.: *Dignus insigni Triumpho, quem expectare potest ad Cœleste Capitolium ab ipso ducendum, stipato interim hoc exercitu Redemptorum; cum alias Cæsares captivis ad Romanum ductis glorientur; tanquam laudi esset Captivam ducere Captivitatem, ac non magis liberam, & emancipatam.* Omitto plures Redemptores, qui totidem redemerunt; omitto innumeros alios, qui quingentos, sexcentos, & septingentos Fideles à captivitatis afflictionibus corporis animæque periculis exemerunt. Ex quibus omnibus manifestè constat plurimas, & copiosissimas Ordinem Sanctissimæ Trinitatis peregisse Redemptiones, quorum numerus ægrè sciri vel reperiri queat. *Baro ad ann. 1260.*

CAPUT XXIII.

De Redemptionibus, quas speciatim Sacra Nostra Discalceata Familia executa est; ubi de ejus Origine, & Institutione quædam præmittuntur.

1. QUantum à Proto-Parentis nostri lapsu humana vitiata sit natura, ex ejus infirma constitutione, & fragilitate metiri potest; hæc enim licèt magnanimâ resolutione arduam virtutis ingrediatur semitam, attamen decursu, & injuriâ temporum pressa, & defatigata à primævo fervore non modicum remittit, mox torpescit, tandem sibi de quibusdam sustentaculis, & naturæ levaminibus providere solet, quo fit, ut sæpe sæpius à Philautia supplantata, ab amore proprio decepta, à cæpta virtutis semita, vel deflectat vel aberret; præcipuè dum prudentia hujus mundi, *Sapientia carnis*, quæ teste Apostolo, *inimica est Deo*, honesto discretionis titulo decoratur; hinc pravæ consuetudines in deteriorem abusum, imò facili jure sensim in antiquam legem *Rom. 8. 7.*

legem degenerare consuescunt, tunc jam abusus interpretatur licentia, & relaxatio quodam necessitatis superinducto colore dispensationem induit.

2. Hoc cum cæteris veteranis Ordinibus pariter Ordo Sanctissimæ Trinitatis expertus est per omnia, qui dum quatuor jam ferè sæculis totius Christianæ Reipublicæ commodo stetisset, non minimum se à primæva observantia, & rigore deflexisse ingemuit, non tamen defuêre omni tempore Viri Sanctissimi juxtaque Sapientissimi, qui fatiscentem Ordinem tanquam firmissimæ Columnæ præservârunt à ruina, præcipuè circa finem sæculi quarti ab Ordine condito, anno nimirum 1594., quo cum Generale Ordinis Concilium die 4. Maji Valisoleti congregatum fuisset, convenerant ad hoc ex Provinciis utriusque Castellæ, Aragoniæ, & Bœticæ Patres undequaque meritissimi, quibus præsidebat Reverendissimus P. M. Didacus de Gusman Commissarius Generalis, Vir omnibus numeris absolutus: cùm igitur hic Patrum Conventus omni humano affectu, & respectu deposito attentâ solius Dei gloriâ Statum Ordinis bene examinâssent, uti tempore, ità & rigore à primitiva observantia se multùm distare cognoverant; proinde jam jam reformationis necessitatem impendere. Quare omnibus unanimiter visum fuit, quod & concordi calculo decreverunt, in unaquaque Provincia ad minus tres Domos esse determinandas, in quibus primitivam *Regulam* observarent Religiosi, & majori cum vitæ rigore viverent, tali tamen conditione, ut ad tales domos ire cuique sit liberum, ac quandocunque placuerit ad pristinos Conventus redire. Statutum hoc multis observantibus Religiosis incredibile fuit solatium, quævis mora his longissima videbatur, quæ tantopere desideratam retardaret executionem.

3. Verùm non est idem disponere ac exequi, multum ad invicem distant dicere & facere, condere leges & easdem observare, quod præsenti occasione satis expertum fuit; postquam enim Patres tam laudabilem vulgâssent

gâssent Constitutionem, quam Viri graves judicârunt maximè necessariam, & eandem major ac melior pars Religionis generali cum applausu recepisset, anno & medio nulla ejus executionis fuit facta mentio, magno cum cordis mœrore plurium Servorum Dei. Ipsimet Superiores, qui hoc ipsum ediderunt Decretum, ab ejus executione, & principiis tam Sancti Operis longissimi erant; accedebant aliàs fortissimæ contradictiones quorundam particularium, qui non ad commune bonum, sed ut sibi & particularibus bene sit attendentes, ut ad reformationem omnis affectus opprimeretur, vel conatus confunderetur, omne tentârunt Consilium.

4. At, *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. O quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit.* Dum nulla spes, nulla res de reformatione superesse videbatur, insperatè inopinatè Deus ad illam aperuit viam: ex quo cognoscitur, quod creditur similibus nimirum congregationibus Spiritum Sanctum specialiter assistere, quare hoc decretum non ex Superiorum aut hominum arbitrio, sed ex Divina inspiratione processisse æstimandum est, cùm nullâ humanâ vi vel industriâ frustrari potuerit, uti hoc etiam Clemens VIII., Paulus V., Urbanus VIII. Summi Pontifices cognoverunt, & expressiùs suis in Bullis declarârunt, quod & amplius in sequentibus patebit.

Proverb. 21. v. 30.
Rom. 11. v. 33.

5. Cùm Excellentissimus D. Alvarus Baçan Marchio Sanctæ Crucis iter faceret, contigit ut Patrem Ordinis SSS. Trinitatis idem iter agentem offenderet, quem discursûs gratiâ, ut itineris tædia falleret, in suum consortium assumpsit, cùm itaque inter se peregrè diversos miscuissent dialogos, inter cætera de Ordinum fundationibus se obtulit sermo, ubi inter cætera se pariter sua Excellentia Vallerupi suis in bonis Cœnobium fundare resolvisse, ait; ad quod Pater Marchionem supplex orat, ut sit Ordinis sui; contrà excusat Marchio, hoc pro Discalceatis quibusdam jam esse determinatum: instat denuò

 Pa-

Pater assecurando, secundùm desiderium suæ Excellentiæ adhuc Conventum suo Ordini accommodari posse ratione Statuti Capituli Generalis Vallisoletani decernentis, ut in qualibet Provincia sint domus aliquæ Recollectorum: placuit sermo Marchioni, & jam jam supplici annuere videbatur. Religiosus ne occasionem tam opportunam elabi sineret, quam illi Deus pro tam sancti operis principio obtulerat, & ut sua Excellentia se resolutoriè & plenariè in suæ Religionis favorem determinaret, dum calet ferrum cudendum esse judicavit: Quare rectà se Vallerupim contulit, ut ad intentionem Marchionis consensum Civium lucraretur, quod cùm Pater feliciter consecutus fuisset, rem totam Commissario Generali proposuit, qui protinus eadem de re informavit Provincialem Bœticum, Vallerupis enim in illius districtu fuerat: placuit fundatio, quare Provincialis Ministrum Conventûs de Membrilla cum commissione delegavit Vallerupim, ut rem deduceret in effectum, speciali tamen cum advertentia, ut cautè quantum possit conetur, ne Conventus sit pro Recollectione, quod si nequiverit, admittat conditionem, parùm enim interest, quia cum tempore non inquiretur, an sit Recollectorum vel Calceatorum? & licet inquiratur, difficultas hæc facilè superabitur.

6. Tractatum est ergo inter Marchionem & Patres, assignati sunt proventus & reditus, conditiones, & obligationes utriusque partis Chartis & ceris commissæ atque firmatæ sunt, inter quas principalior, ut Conventus sit Recollectorum, in quo secundùm Decretum Capituli Primitiva Regula in rigore observetur. Hinc in Sacello sub invocatione S. Nicasii ingenti cum Civium applausu collocatum est Venerabile Sacramentum die nimirum 9. Novembris Anno Dòmini 1596. Et relicto in Domo illa Sacerdote quodam sene & sancto (qui in magno vitæ rigore ibidem pro tempore vivebat) videbatur quasi primus vellet ipse in Domum hanc introducere rigorem, qui olim sit observandus. P. Minister de Membrilla re-

reversus ad propria, & P. Provinciali suæ commissionis rationem retulit; verùm non secundùm animi sententiam; rem tamen parvi æstimavit. Sex jam volvebantur menses, & adhuc erat difficile huic operi dare principium, moras alias ex aliis nectebant, intendentes quâ viâ vel modo Fundatoris frustrari posset intentio: Considerans verò P. Provincialis non posse perdi fundationem, sed illius conditionem debere excusari, Religiosos Vallerupim misit, qui vel maximè à Recollectione aversi erant, & qui quàm maximè huic contradicebant, confisus per eorum præsentiam & communicationem faciliùs opprimi conditionem Recollectionem obligantem.

7. Suscepti fuêre Patres magno cum populi gaudio; necessaria ipsis magna charitate parique liberalitate subministrabantur, dum de die in diem, de mense in mensem expectatur habitûs & vitæ mutatio, ut tandem Recollectio pacta in conditionibus suum sumat exordium; verùm Religiosis ne quid minus in mentem venit, utpote à tali cogitatione toto cœlo alienis; audiuntur plebis quærelæ & murmurationes, Patres non servare quod promiserant; contrà Religiosi varias prætendunt excusationes, omnibus modis effugia quærunt, tergiversantur diversas excogitantes rationes; sed neque animos obloquentium placare potuerunt, eleemosynas illis subtrahunt, conditionem exprobrant, & Patrum malè pactam fidem Marchioni denunciant.

8. Indignatus Marchio ad nuntium, mox ad Patres Vallerupenses expedivit literas, in quibus non leviter suam Authoritatem lædi conquæritur, eò quòd non respondeant principali & tam clarè expressæ conditioni, aliter rebus imposterùm provideri admonet, si suo favore gaudere desiderant. Hæc Epistola, & continua Civium instantia non minimùm Patres perturbaverat; celeriter duos Madritum ad Commissarium Generalem, qui totius rei successum exponerent, atque referrent, quid agendum? delegârunt. Importunissimum fuit hoc nuntium Commissario, qui se in materia tam gravi, & contra

totale judicium & dictamen suum ad operandum quasi cogi & obligari videbat: casu præsentes fuêre Patres, qui superiorem cogitabundum toto animo tremere adverterunt: mox ut sedavit animi motus, nuntios remisit cum literis, in quibus suum promittit adventum, ut bono sint animo, omnes ipse consolaturus, & quidem in brevi: licet firmissimo cum proposito (quod dissimulavit) omnimodè impediendi Recollectionem, & ut suâ præsentiâ & Authoritate murmurationes sopiret, querelas leniret, & conditionem opprimeret.

9. Divulgata est hæc Epistola, & cùm P. Commissarii nescîssent intentionem & mentem, sibi in bonam partem Vallerupenses æquivocam interpretabantur Epistolam; & ne executio tam sancti & desiderati operis aliquam ampliùs pateretur dilationem, ipsi Cives propriis expensis Habitus de sago pro novis Recollectis præparârunt. Quæ rerum facies? Mirantur Patres repentinam rerum mutationem, quam uti aversabantur, ità & timebant, utpotè quibus nullus ad Recollectionem erat spiritus, & tamen quasi per capillos, ut ajunt, ad illam se trahi videbant, consolabatur tamen illos posse redire ad pristinos Conventus, quandocunque placuerit. Interim Commissarius Generalis solvit Madrito Bœticam Provinciam visitaturus; mox ut Membrillam pervenit, intellexit, quæ Vallerupi agebantur, quòd nimirum universus populus ex Epistola præmissa consolatus, *ideo suum* præstoletur adventum, cùm pro certissimo teneat, suam Reverendissimam propterea venire, ut compleatur, quod tantopere desiderabant, & quomodo ad hoc Habitus de sago jam sint præparati.

10. Hic Epistolarum Effectus majorem in animo P. Commissarii causavit confusionem, quia ex parte vim faciebant rationes ne in Ordine nova incipiatur Recollectio, sed ut res maneant prout fuêre; ex altera parte prævalebat difficultas dissuadendi Vallerupenses à tali prætensione, nihilominus tamen non animo cæcidit, sed adhuc suum intentum consequi sperabat, & ut ante adventum suum

suum contrarii sui assensûs famam præmitteret, Patres consolaretur, Cives verò ab opinione concepta deturbaret, clariusque cognoscerent, se non ut Recollectio aliquem sortiatur effectum, sed ut impediatur potiùs, venire. Ad hoc Patrem quendam prudentem, & ex primoribus maximè meritum præmisit, qui Vallerupensibus significaret, sequenti die suum adventum futurum, & ne ullus mutaret habitum. Hoc idem erat ac si mandasset contrarium, quod Religiosus ille intellexit, nam idem evenit quod accidit cum Epistola.

11. Pervenitur ad Conventum, & mandatum exponit nuntius: cras futurum esse, ut adsit sua Reverendissima, & velle recipi in Habitu Recollectorum. Quis non miretur casum? quis præsumere potuit? quòd Religiosus tam gravis, qui solus ad hoc & determinatè delegatus fuit, ut Superioris dispositiones annuntiet, & quidem in rebus tanti ponderis, potuisset decipi? Quis crederet? quòd illi, qui ad impediendam Recollectionem advenerant, eidem darent Principium? Sic scilicet Divina Providentia mirabiliter eadem assumit media ad efficiendum suum finem, quibus utuntur homines ad eundem impediendum: sic Joseph à fratribus venditus fuit Ismaëlitis, ne somnium illius verificaretur, & Dominus suorum fratrum efficeretur; & idem erat *Gen.* 37. medium, quo non tantùm suorum fratrum, sed universi Ægypti Dominus effectus est.

12. Sequenti die ut Patres jam propè adesse Commissarium cognoverant, in Habitu Recollectorum magno concursu & gratulatione populi processionaliter illi obviam iverunt, quod ut ille vidit, vehementer attonitus, dolebat nimirum jam adimpletum esse, quod omnibus viribus repugnabat, & impedire & destruere veniebat: sed hoc jam irremediabile visum fuit, quia publicus & maximus erat concursus, & omnes ex præmissis sibi persuadebant hanc dispositionem esse superioris. Verùm jam cognovit P. Commissarius, hanc esse voluntatem Dei, cui resisti non possit, neque ampliùs rem investigavit, sed

Psal. 76. secundùm illud Regii Vatis: *Et dixi nunc capi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Devotè suos Recollectos ad perseverantiam exhortatus est, ut vitam pariter cum Habitu conformarent. Acta sunt hæc divino planè, ut apparet, consilio, in ipso festo S. Agnetis Virginis & Martyris secundo N. S. Ordinis Patronæ die 28. Januarii anno Christi 1587. trecentis planè & nonaginta novem annis à quo eâdem die Revelatio Ordinis facta fuit Innocentio III. Summo Pontifici. Res memorabilis contra tot ac tantorum opinionem & votum.

13. Huic Recollectioni non multò pòst, ut votum redderet, adscribi voluit Venerabilis Servus Dei Pater Joannes Baptista à Conceptione, qui postquam transitum obtinuisset ejusdem reformati Conventûs fuit Minister electus, ubi ille Superior priùs fecit, quod fieri voluit à Subditis; omne medium, quod ad perfectionem conforme noverat, introducere curavit; reformationi morum quàm maximè intendit, quod cùm difficile fuisset, suo exemplo hoc cæteris fortiter & suaviter persuasit; Deiparam Virginem hujus spiritualis ædificii Patronam elegit, eidemque multis orationibus, & pœnitentiis devotus enixè suos commendavit.

14. Fama Sanctitatis ejus mox ut percrebuit, multos graves Viros attraxit, qui primitivæ observantiæ, & arctioris vitæ zelo ducti Recollectioni adscribi desiderarent, quod & fecerunt, sed modicè constantes ad pristinos Conventus & commoditates facilè revolvebantur, ita ut aliquandò plures, aliquandò pauciores fuerint, qui Recollectionem sequerentur; accedebant etiam infestationes dæmonum, terrebant orci spectra, apparebant diræ facies infernalis inimici, qui magnâ majestate & potentiâ bellum Patribus declarando sæpiùs visus erat. Hæc & alia quàm plurimæ inconvenientiæ impediebant ne per Recollectionem consequeretur, quod intendebatur, præcipuè cùm perseverantia sit, à qua omnes cæteræ virtutes suum desumant valorem & pretium.

15. Quare consultis Doctis Sanctisque Viris V. P. Joan-

Joannes Baptista à Conceptione Romam pergere, & Summum Pontificem, qui tunc erat Clemens VIII. consulêre statuit, quò, superatis plurimis itineris periculis, dum pervenit, plus quàm octodecim mensibus omni humano destitutus auxilio laboravit, tandem innumeris victis dæmonum astibus, hominum persecutionibus, variisque tentationibus superatis, Bullam Exemptionis à Clemente VIII. Summo Pontifice datam apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20. Augusti, die nimirum Solemni D. Bernardi Clarevallensis, anno 1599. obtinuit, & Victor ad suos lætus remeavit.

16. Itaque jam factâ separatione à Patribus Calceatis, ab eorumque exempti Jurisdictione & Refugio, Recollecti securiùs Regulam primitivam profiteri, condere Constitutiones, introducere & observare Leges, nihilque omittere, quod ad perfectionem, quod ad primitivam observantiam conduceret, cœperunt. Interim tamen in summa rerum penuria viventes, inter innumeras persecutiones & odia, inter tribulationes maximas versantes, Deus Ter. Opt. Max. specialiter benedixit, ut hæc nova Sacra Familia Sanctis atque Doctis Viris undequaque illustraretur, multiplicaretur in Conventus, atque in Provincias divideretur. Urbanus VIII. Sum. Pontif. anno Domini 1631. Regulam primitivam ad perfectiorem formam redegit. Et licèt hanc reformatam Congregationem Clemens VIII. ab omni & quacunque Jurisdictione, Visitatione, Superioritate, tam Commissarii Generalis, quàm quorumcunque Superiorum Patrum Calceatorum seu Mitigatorum exemerit, sub jurisdictione tamen, & dependentia Majoris ac Generalis Ministri manere perpetuò voluit, nil tamen his obstantibus, cùm numerus Conventuum crevisset, Urbanus VIII. anno Domini 1636. ab eodem Ministro Generali nos totaliter exemit, & omnino independentes reddidit, atque Ministrum Generalem ex ipsis Discalceatis eligere motu proprio concessit. Clemens X. Pontif. Max. post modùm anno Domini 1676. Constitutiones in diversis Congregationibus

bus Generalibus conditas approbavit, & confirmavit. Per octuaginta annos igitur continuò laboratum est, ut hæc Sacra Reformata Familia in hunc Statum, in quo
Æneid. 1. nunc est, reduceretur. *Tanta molis erat*, ut quidam ait, *Romanam condere Gentem.* A præsenti forma, ne vel in minimo recedatur plusquam centenis Argi oculis invigilatur.

17. Jam, ut ad Institutum regrediamur, inter plurimas persecutiones, quæ hæc Sacra tolleravit Familia, non minima fuit circa proprium & canonicum ejus Institutum Redemptionem Captivorum, litigantibus contra nos in diversis Tribunalibus Patribus Mercenariis, & Mitigatis nostri Ordinis, allegantibus Redemptionem Captivorum nobis non convenire utpote Discalceatis. Sed perperam, cùm nullis magis conveniat redimere Captivos quàm Discalceatis, non dicam ad primitivam Redemptricis Religionis Observantiam Reformatis. Exodi 3. Moëses dum à Deo de medio Rubi ardentis vocaretur, ut Filios Israël de Ægyptiorum redimeret servitute,
Exodi 3. *v.* 5. *& v.* 9. priùs in mandatis accepit, nimirum *Solve Calceamentum de pedibus tuis.* Deinde subjungit Dominus Moësi, loquens: *Clamor ergo Filiorum Israël venit ad me: vidique afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur: Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas Populum meum Filios Israël de Ægypto.* Discalceatus esse debuit, ut dignus à Deo eligeretur Redemptor. Quare meritò & justissimè anno Domini 1621. die 7. Januarii contra dictos Patres in favorem nostrum lata est Sententia. Jam perfecimus Redemptiones in Africa, Turcia, Tartaria tam Budzakina quàm Krimea, imò post Mare Euxinum in Anatholiam, & interiorem Syriam opera nostra destinantur.

REDEMPTIONES

In Africa facta sunt sequentes.

18. Prima Redemptio anno Domini 1625. Tetuani executa fuit à Patribus Redemptoribus P. Gabriele ab Assum-

Aſſumptione, & P. Sebaſtiano à Matre Dei, & 52. Chriſtiani Captivi libertatem aſſecuti ſunt.

Secunda pariter Tetuani & Zale anno 1632. fuit facta Redemptio, ubi ſalvati ſunt 62. Chriſtiani, Redemptoribus P. Sebaſtiano à Matre Dei, & P. Caſparo à Regibus.

Tertia Redemptio Alcazarquivi & Zale anno 1634. executa eſt per dictum P. Sebaſtianum à Matre Dei unicum Redemptorem, qui ex omnibus Redemptoribus totius Hiſpaniæ abſque eo, quod vel minimum de hac re ſciret per Regium Conſilium Bellicum electus eſt, ut redimeret 60. Milites Præſidii de Alarache, qui in conflictu à Mauris ſunt capti. Tam difficile erat hoc, ut videretur impoſſibile, quia ipſimet Mauri inter ſe belligerabant, & Milites captivi jam inter contrarios exercitus, & adverſarias copias repartiti erant. Inſuper quod auxit difficultatem, captivi erant apud noſtros Mauri aliqui, quorum libertatem ante omnia Generalis Maurorum Capitaneus petiit; & hoc minus erat poſſibile, quia Mauri illi jam ad triremes Siciliæ miſſi erant. Nec terruerant tot ac tantæ difficultates P. Sebaſtianum, quia erat Vir fortis & magnanimus, quod in magnis difficultatibus eluxit; conceptâ Spe in Deum, *Qui educit vinctos in fortitudine*; accinxit ſe operi Pater, & cum bono Deo cum bono animo omnes Milites præter unum, qui mortuus fuerat, redemit; & ut unius defuncti Militis locum & numerum ſuppleret, tres Infantes ne forſan in Chriſti abnegationem, vel certè in captivitatem adoleſcerent, liberavit. Philippus IV. Rex Catholicus tanti hanc æſtimavit Redemptionem, ut totum hoc factum ſuis Regalibus Literis diſcriberet, extolleret, atque teſtaretur grande obſequium per hoc Regiæ Suæ Coronæ præſtitum fuiſſe, propter quod novis gratiis, & privilegiis Sacrum noſtrum Ordinem decoravit, & auxit. *Pſal. 67.*

Quarta Redemptio anno 1638. Tetuani P. Franciſco à Cruce, & P. Caſparo à Regibus peracta fuit, & exempti ſunt à ſervitute Infidelium 80. Fideles.

Quinta, in eadem Civitate anno 1640. per eosdem Patres Redemptores executa fuit, & reducti sunt 113. Christiani Captivi, inter quos fuêre tres Fratres Minores.

Sexta, Algerii anno 1642. ab iisdem Patribus Redemptoribus facta fuit: hanc illustrem fecit Effigies Deiparæ Virginis à ludibriis Maurorum vindicata, quam etiam quasi Stellam matutinam libertatis Ducem, & Auspicem secuti sunt 156. Christiani.

Septima, ibidem anno 1649. à P. Benedicto à S. Michaële, & P. Michaële à Virgine præstita fuit, & sunt à vinculis exoluti 107. Christiani Captivi.

Octava Redemptio Tetuani facta fuit anno 1654. per P. Antonium à Spiritu Sancto, & P. Michaëlem à Virgine; & sunt libertati restitutæ 126. Personæ.

Nona Redemptio, anno 1658. ab eodem P. Michaele, & P. Andrea à S. Hieronymo suscepta fuit, in qua 143. Christiani Algerio in Patriam reducti, inter quos erant sex Regulares, nimirum unus Ordinis S. Francisci Seraphici, alter S. Dominici, tertius Societatis Jesu, & alii tres Religiosi Excalceati Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

Decima Redemptio etiam Algerii anno 1662. facta fuit per Patres Redemptores Michaëlem à Virgine, Matthæum à Jesu, & Augustinum à Sancto Petro, ubi redempti fuêre 286. Christiani.

Undecima Redemptio multis exantlatis laboribus & perpessis stetit tribulationibus, hanc anno 1668. & sequenti 69. Tetuani, Fez & Zale, P. Michaël à Virgine, P. Didacus à Purificatione, & P. Joannes à Jesu Redemptores in finem deduxerunt, in libertatem vindicatis 128. Christianis captivis. Hæc Redemptio memorabilis est propter sequentes circumstantias; nam cùm Patres peractâ jam lytri solutione portum solvere, & suos Redemptos in patriam reducere voluissent, contigit, ut Rex Muley Arcid nuncium perciperet, quandam Puellam Saracenam in Gibraltar captivam se Christianis Sacris initiâsse, & baptiza-

baptizatam fuisse. Pater Puellæ conquerebatur, & falsè allegabat Filiam vi baptizâsse Christianos, quare institit apud Regem, ut Redemptores Filiam reducerent, & sibi restituerent; quod ut Rex à Patribus extorqueret, minaciter egit, minisque sua fulmina addidit cum mandato, ut illico Saracenam restituerent, secus certissimè se sciant unà cum omnibus captivis perituros: ad quod Redemptores nil territi magna spiritûs libertate responderunt; se similem casum ignorare, quia sicut Religio Christiana contra propriam voluntatem & liberam electionem neminem admittit; ita neminem permittit ex ejusdem Professoribus ad Mahumetanos reducere: itaque non in sua potestate esse suis juratis hostibus tradere Christianam, etsi propterea omnes perirent. Rex barbarus hanc indignatus ad resolutionem, Redemptores & Redemptionem strictissimis coarctavit custodiis, & plus anno solido detinuit; tandem spe perditâ obtinendi, quod intendebat, impellente magis cupiditate, quàm humanitate cum Redemptoribus tractavit, & pacto solvendi novem millium Imperialium abeundi copiam fecit Redemptioni. P. Joannes à Jesu unus de Redemptoribus dimittitur, ut pactam Summam referret, cum qua dum in Africam reverteretur soluturus fidem, à Piratis Argelensibus in Sinu Almuñeçar interceptus est, ad quem dum globos aliquos explosissent Sclopis, habitum absque læsione corporis perforârunt: captus Algerium in vinculis ducitur, ubi innumeras penè tribulationes, ærumnas & injurias in triennio suæ captivitatis invicto animo perpessus est, quin ibidem vitam hanc mortalem & plenam miseriis finiit, atque in immortalem æternam & cœlestibus gaudiis refertissimam commutavit, cum Christo suo liberatore securissimâ libertate potiturus.

Duodecima Redemptio facta fuit anno 1674. Tetuani & Zale, Redemptoribus P. Michaële à Virgine, P. Joanne à S. Bernardo, & P. Didaco à Jesu, in qua iterum Effigies Beatissimæ Deiparæ Virginis cum 128. Christianis captivis à Maurorum injuriis vindicata est.

Decima tertia, in Civitatibus Fez, Tetuani, & Zale anno 1677. lucro 132. Christianorum ab eodem sæpiùs dicto P. Michaële, P. Francisco à Regibus, & P. Joanne à Visitatione executa est. Hujus Redemptionis occasione Fez & Tetuani duo Hospitia fundata sunt ab Excellentissimo D. Petro de Aragonia, in hunc finem, ut in quolibet eorundem tres Religiosi nostri Ordinis assisterent, qui infirmos Captivos curarent, & tam infirmos quàm sanos consolarentur, audirent Confessiones, administrarent Sacramenta, in fide confortarent, atque in sacris ejusdem Mysteriis erudirent, idemque quantum possent, & charitas exigeret, in circumvicinis Barbariæ locis præstarent. Assignati sunt pro tam sancto opere competentes redditus annui, ita ut pro quolibet Hospitio quotannis quadraginta millia Regalium, qui in nostra moneta quasi quinque millium florenorum Rhenensium Summam efficiunt, impenderentur. Per tredecim annos hîc nostri Patres tanquam in vinea Domini magno lucro animarum laborârunt. Verùm ut concinnè Græcus Sophocles: *Φιλάργυρον μὲν τὸ τῶν βαρβάρων γένος*: id est: *Avarum omne Genus Barbarum*: propter nimiam avaritiam, perfidiam, exactiones, & injurias barbarorum impossibile fuit hæc hospitia amplius conservare & tueri. Magno igitur cum totius Ordinis dolore Patres ab illis locis circa annum 1690. recedere coacti fuêre.

Decima quarta Redemptio, in Civitatibus *Mequines*, Fez, & Tetuan Anno 1682. facta fuit, Redemptoribus P. Michaële à Jesu Maria, P. Joanne à Visitatione, & P. Martino à Resurrectione, & septemdecim Sacræ Imagines opere statuario partim auro celatæ & depictæ, partim pretiosè indutæ, cum multis Crucibus, Sacris Vasis, Ornamentis Ecclesiarum, exsolutæ sunt: insuper & 211. vivæ Triuni Dei Imagines, Captivi nimirum Christiani, in libertatem asserti. Supradictas Sacras Statuas Mauri in expugnatione Mamoræ diripuerunt. Præsidium hoc olim à Philippo III. Rege Catholico, Anno scilicet 1614. recuperatum fuit, quod idem Rex *S. Michaëlis ul-*

tra-

tra marini vocari voluit, sed Anno 1681. nostris demeritis ità exigentibus à Mauris rursum nobis ereptum est. Hìc illi Barbari spoliatis Ecclesiis Imagines Sanctorum mille affecerunt ignominiis, easdemque tanquam spolium & triumphi pompam Mequines in Civitatem suam abstulerunt, ubi quas dum Muley Ismain Regi suo proposuissent, Rex per vicos & plateas raptari Imagines, tandem quia erant artificio picturæ ad speciem carnis humanæ elaboratæ, objici Leonibus, ut ab iisdem in spectaculum dilacerarentur, mandavit. Sed cùm Gens illa magìs fera esset quàm ipsæ Feræ, feri Leones magis humani fuêre, quàm ipsi Homines Barbari, nam Sanctis Imaginibus rationem exhibent, easdemque honorant: neque ab irrationalibus didicit Gens illa scelerata & inhumana, pluribus ignominiis & ludibriis in odium & opprobrium Catholicæ Religionis in Sanctos fæcessit. Profusis lachrymis spectavit hæc Frater Petrus ab Angelis Conversus nostri Discalceati Ordinis, neque ampliùs tot injurias in Christum & Sanctos ejus tolerari potuit, quin imo per mille difficultates omnì contempto periculo in præsentiam Regis se intrusit, & se Religione Catholicum, Professione Discalceatum Trinitarium esse, fassus, cujus inclytus Ordo ob frequentes Redemptiones in illis Regnis satis sit cognitus, qui æquè suos curat mortuos ac vivos, æquè Sanctorum honorem zelat, ac Justorum & Fidelium calamitatibus succurrit: pro Redemptione Imaginum aurum denique promittit, & ut citiùs è tot contumeliis absolverentur Sanctorum Imagines, Frater Petrus vitam & sanguinem in pignus spondet. Hæc dum magnâ spiritûs libertate coram Rege & ejus adstanti aula elocutus fuisset, cessit tandem Avaritiæ Barbarus, severa tamen cum animadversione, nisi constituto die deponat aurum, certò se sciat vivum cum Imaginibus concremandum. Protinus hac de re Superiores Religiosus informavit, qui mox collectis ex omnibus Conventibus facultatibus quibuscunque, Redemptionem parârunt. Redemptores apto tempore Mequines pervenientes per-

 soluto

ſoluto pretio pignus redemerunt. Imagines fuêre, & inter præcipuas una Jesûs Nazareni, opere ſtatuario in



ſtatura integra & naturali, & alia ejuſdem operis & ſtaturæ S. Michaëlis Archangeli, Luciferum debellantis, quæ in foro publico Mamoræ in honorem Patroni ejuſdem Civitatis proſtabat: S. Archangelus Michaël à Patribus redemptus fuit, ſub Maurorum poteſtate relicto Lucifero, quibus ipſe dominabatur: Præterea fuêre aliæ Imagines ex diverſa materia, Chriſtum Redemptorem, & ejus Beatiſſimam Matrem diverſimodè deſignantes, aliam etiam S. Angeli Cuſtodis, cæteræ diverſorum Sanctorum, in univerſim numero ſeptemdecim. Jam hîc non diſputo, quam veri Chriſtiani Sanctis Imaginibus debeant vene-

Synod. 7. General.

nera-

nerationem, cùm hoc œcumenicis Patrum Conciliis, uti in Nicœno, Romano, Tridentino plùs satis declaretur. *Obito Scholas eorum*, inquit Magnus Gregorius, *qui elementis imbuuntur*, *& dic ego sum eversor*, *& persecutor Imaginum*, *& confestim tabellas in caput tuum ejicient.* Neque recenseo mirabilia, quæ Deus per has Sacras Imagines manifestavit, illa referunt oculati testes; solùm hoc quod observo & pondero, est hic favor, quo Deus Ter Opt. Max. S. N. Redemptricem Familiam illustravit, in qua apprimè verificatum fuit, quod Christus Redemptor noster suis promisit dicens: *Amen Amen dico vobis*, *qui credit in me*, *opera quæ ego facio*, *& ipse faciet*, *& majora horum faciet.* Nam Christus peccatores redemit; Sacra hæc Redemptrix Familia & Sanctos redimere meruit: Christus homines non Angelos redemit: hæc homines & Angelos: Christus seipsum non redimere potuit; hæc Christum ipsum Redemptorem atque Redemptoris Matrem Beatissimam Virginem redemit; & licet hoc tantum in Imaginibus contigerit, attamen ipsissimos ab opprobriis, ignominiis & ludibriis, quæ in Imaginibus ab Infidelibus patiebantur, redemptos esse constat; & cùm honor apud honoratos majori sit in pretio, quàm ipsa vita; hinc plus fecit hos salvando in honore, quàm si eosdem in vita salvâsset & redemisset. Jam ut nostra prosequamur.

quæ est Nicæna contra Iconomas. Synod. Rom. sub Greg. III. ann. 732. Synod. Trid. Ss. 25. D. Gregor. de Sacris Imag. ad Leon. Isaurum. Joan. 14. cap. v. 12.

Decima quinta Redemptio facta fuit Algerii Anno 1694. in qua fuêre Redemptores P. Josephus à Resurrectione, P. Michaël ab Incarnatione, & P. Bernardus à S. Agnete, per quos 211. Captivi redempti sunt, quibus inter fuêre Ecclesiastici Presbyter Sæcularis, Religiosus Ordinis S. Benedicti & S. Francisci.

Decima sexta Redemptio facta fuit Tunisii, Bisertæ, & in Portofarinæ Anno 1701. à P. Petro à Jesu nunc nostri Sacri Ordinis Diffinitore Generali; redempti sunt 141. inter quos fuêre Ecclesiastici Religiosus Ordinis S. Joannis de Deo, & alter Minoribus Ordinibus initiatus. De hac Redemptione suprà Cap. 18. num. 5. memoratum fuit.

Deci-

Decima septima Redemptio executa fuit Algerii Anno 1702. à Patribus Redemptoribus Petro, Francisco, & Michaële, singuli à Sancto Josepho cognomines, & redemptæ sunt 160. Personæ, inter quas Ecclesiastici, Subdiaconus & Presbyter & noster Religiosus Discalceatus SSS. Trinitatis Conventûs Zeutensis in Africa Vicarius, insuper & Effigies sive Statua Immaculatæ Virginis Conceptionis trium palmorum altitudinis plumbo fusa deaurata & picta in suo pegmate.

REDEMPTIONES

19. Factæ in Tartaria à Conventibus nostri Sacri Discalceati Ordinis in Poloniæ Regno existentibus sunt sequentes:

Prima Redemptio facta fuit Kameniaci anno 1688. Redemptore P. Michaële à S. Maria, & 8. Christiani Captivi in principio pro ratione facultatum redempti sunt.

Secunda facta fuit ibidem ab eodem P. Redemptore anno 1690. & redempti sunt 13. Christiani.

Tertia anno 1691. ibidem ab eodem P. Michaële à S. Maria executa fuit, & in libertatem venerunt 43. Christiani.

Quarta Redemptio anno 1694. etiam facta fuit Kameniaci à P. Redemptore Joanne à Nativitate, & à jugo Tartarorum redempti sunt 45. Christiani.

Quinta Redemptio anno 1695. ibidem ab eodem P. Joanne à Nativitate facta est, & redempti sunt 21.

Sexta Redemptio anno 1699. ad oras Budzakinas facta est à P. Rocho à Jesu Maria Redemptore, & redempti sunt 13. Christiani, inter quos Presbyter Ordinis S. Francisci.

REDEMPTIONES

20. Factæ in Turcia, Tartaria Budzakina, & Krimea, in primis à nostro Conventu Viennensi, & ut hâc occasione res licèt exiguâ attamen manifestâ, & ulteriori

riori digna memoriâ conservetur, parenthesim intermisceo: postquam nostri Patres à nostro Augustissimo, & semper Gloriosissimo Leopoldo I. Romanorum Imperatore, &c. &c. ad promovendum Redemptionis Institutum Monasterium Viennæ fundandi gratiosè obtinuissent facultatem, extra Urbem locum, & situm opportunum ad hoc eligere cogitârunt; & sicut mirâ Dei Providentiâ universus Ordo per Cervum primis Sanctis nostris Fundatoribus præsignatus fuit, primumque Ordinis Monasterium, & Matrix omnium Cervus frigidus nuncupatur, ità hujus Monasterii primi in Austria Cervus præsagium fuit. Hiems anno illo rigidior fuit, unde Cervi, quorum ingens multitudo à *Jure Austriaco* in Cæsareas venationes destinatur, etiam Domos appropinquabant, unus illorum fossam, quæ ad subigendam calcem præparata fuerat, incidit, & altero mansit die, plebs casum non casum sed aliquid significare, & certum incerti rei præsagium mirata. Patres, ut ignoti, rerum istarum penitus ignari, hinc prope de comparando futuri Monasterii situ tractârunt, & persoluto pretio Domus cedebatur, remotis mobilibus, inter quæ inventa fuit Vita Sanctorum Patriarcharum nostrorum Joannis & Felicis, olim anno 1633. Lutetiæ Parisiorum à Theodoro van Thulden, Pictore egregio æneis tabulis cælata Imagines artificiosæ, & elegantes cum Inscriptione *Revelatio Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, &c.* res apprimè ad rem, nostris Patribus donata fuit. Res mira, totius nunc Monasterii fundus amplus & spatiosus inter hæc duo loca clauditur, & ubi Cervus fossam incidit, & ubi Vita SS. PP. Nostrorum Joannis & Felicis inventa fuit, & eodem prorsus loco, ubi Cervus scrobem incidit, accidit absque omni intentione quidem, ut Summum Altare insigni raritate in sumptuoso Ordinis Templo constructum fuerit, ita taliter quod multoties observavi, loco ubi prædicta fossa fuit, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum nunc adoratur, in loco verò, & Domo ubi Imagines inventæ, Monasterium desinit. Et hæc breviter

Z pro

pro Posteriorum memoria attigisse, sufficiant. Huic Viennensi Monasterio accesserunt in Hungaria anno 1695. Conventus Illaviensis, ex Piissima fundatione Celsissimi Principis D. Georgii Szeczenii Archi-Episcopi Strigoniensis, &c. Et anno 1697. Conventus Posoniensis Benefactore Eminentissimo D. Leopoldo S. R. Ecclesiæ Cardinali à Kollonicz, Archi-Episcopo Strigoniensi, &c. & sunt ut sequuntur.

Prima Redemptio incepta est anno 1691. à P. Mauro à Conceptione, & sunt è Tartaria Budziakina ad Ovile Christi 16. reducti Christiani.

Secunda anno 1692. facta est circa Belgradum, Temesvarinum, & Varadinum, Redemptore P. Joanne à S. Augustino, & redempti sunt 23. Christiani Captivi.

Tertia anno 1693. executa est in Tartaria Krimea, Redemptore P. Mauro à Conceptione; hic postquam quatuor mensibus à Tartaris diro carcere detentus multùm afflictus fuisset, post mille vitæ pericula tandem Providentiâ Divinâ disponente liber cum 34. Christianis Captivis evasit, inter quos plures Milites, quos Sua Cæsarea Majestas largâ stipe, & novis vestibus, & parte sinistra quâ pectus operiunt Cruce Trinitariâ insignitis, prœmiavit.

Quarta Redemptio facta est anno 1696. Albæ Græcæ à P. Joanne à S. Augustino, & è potestate Turcarum 45. Christiani eliberati sunt.

Quinta Redemptio in Tartaria Budziakina anno 1698. ab eodem P. Joanne à S. Augustino facta est, & redempti sunt Christiani 51. Venit hæc Redemptio Posonium in Januario, pauco tempore postquam in eandem Civitatem noster S. Ordo fuerat introductus, insolitam admirationem, & plausum in Populo causavit rei novitas. Ordinatâ Processione ad Collegiatam S. Martini Ecclesiam coram Majori Altari, in quo Corpus S. Joannis Eleemosynarii, quem redemisse Captivos ex Lectionibus ejusdem Officii constat, pro tempore octavarum ipsius Sancti honorificè expositum erat, conjunctis in ordine Capti-

Captivis solemne decantatum est *Te Deum*, & persolutæ sunt Deo gratiæ. Spargebantur tunc temporis de eadem Redemptione multa ingeniosa Chronographica, Epigrammata, atque Poëtici applausus, tam Ecclesiasticorum, quàm Sæcularium, quæ non nimium fixæ memoriæ commendatæ mihi jam excesserant, præter unicum quod in meis chartulis propriâ Authoris manu exaratum, inveni, est nimirum Prænobilis Domini Christophori Spindler Civitatis Posoniensis iterum atque iterum Judicis, & Consulis, Vir discretissimus atque integerrimæ Vitæ, & Virtutis, juxtaque admodum literatus, qui, dum hæc scribenda meditarer, anno superiori magno Civium mœrore, omniumque relicto sui desiderio Vir optimus fatis ereptus est. Hujus inquam in eandem Redemptionem hic erat affectus.

Exhilarent animum laudes, Venerande Redemptor;
Quas Tibi cum populo turba redempta canit.

Et aliud ejusdem:

Gloria magna Senem proles genuisse Parentem,
Quas Servitutis presserat antè jugum.
Crescit honor, toto dum Vulgus pectore plaudit,
Posonium Triados obtinuisse Patres.
Maxima quæ superest, cæli manet ultima merces,
Quâ nos Sancta Trias, post pia facta beet.

Sexta copiosior est Redemptio, cui in Sacra nostra Discalceata Religione hucusque in numero non invenitur par. Hæc facta fuit occasione pacis inter Augustissimum Leopoldum Imperatorem Romanorum &c. &c. & Portam Othomanicam Anno Jubilæo 1700. Redemptore P. Josepho à Sanctissimo Sacramento, per quem Constantinopoli, Adrianopoli, & Russic, aliisque Civitatibus Turcico Imperio subjectis 445. Christiani Captivi ad Patriam sunt reducti. Hanc quod tam numerosam fecit Redemptionem, est, quod ab Eminentissimo D. Leopoldo S. R. Ecclesiæ Cardinali à Kollonicz nostro P. Redemptori

multi traditi fuerant Turcæ, quos pro Captivis Christianis in Turcia commutaret, pro quibus 26. Christiani redempti sunt; præterea 28. alios Captivos Christianos fermè omnes militari dignitate insignes Imperator Turcarum dono dedit: 180. per interventionem Excellentissimi D. Wolffgangi Comitis ab Oetting Legati Cæsarei sunt manumissi, & 127. Eleemosynis Eminentissimi Domini Cardinalis à Kollonicz & pecuniis Ordinis nostri sunt exsoluti, & præterea 81. Excellentissimus D. Ludovicus Comes à Sinzendorff propriis mediis insigni Charitate & semper memorabili beneficio juvit ad Redemptionem; insuper hos quadringentos & quadraginta quatuor Captivos, qui sub cura nostri P. Redemptoris ad libertatem sunt reducti, præcedebant & sequebantur quingenti ferè alii Christiani, qui securi & liberi suam remeârunt in Patriam.

Septima Redemptio facta fuit Constantinopoli, & in Tartaria Budziakina Anno 1703. P. Redemptore Josepho à Sanctissimo Sacramento & redempti sunt 85. Captivi. Hæc Redemptio præterquam quòd multis difficultatibus & laboribus steterit, propter aliquas circumstantias memorabilis est, siquidem plurimi horum Redemptorum in obsidione Viennensi ab hoste abducti, nunc primùm *Divino* Numini reducere placuit; in hac Redemptione non pauci filii & filiæ parentibus, uxores maritis, & mariti uxoribus, sunt reducti & restituti, sed hoc *neque insolitum*, cùm Redemptionibus hic sit communis fructus & eventus, nisi inter particularia referas, quod duo conjuges qui ab hostibus distracti se à viginti Annis nec viderant, nec ampliùs noverant, mirabiliter & insperatè convenerint, nam Uxor Constantinopoli, Maritus in Tartaria redemptus est.

21. Et hæ sunt Redemptiones certæ & constantes, quarum Catalogos in tabulis, quæ Sexum, Nomina, Ætatem, Patriam, Locum unde redempti, Captivitatis tempus, & redemptionis Lytrum exhibeant, communiter in Atriis nostrorum Conventuum publicè appensos videre

videre est. Profectò mirum hanc Familiam tam brevi tempore, tam exiguis facultatibus tot redimere potuisse Captivos, sunt enim numero 3167. quod si pro quolibet anno, à quo cæpêre Redemptiones, quadraginta & unum computaveris adhuc supersunt septem.

22. In Provinciis Gallicanis pariter anno Domini 1626. ad exemplum hujus, licèt paribus difficultatibus, non tamen æquali progressu plantata fuit Trinitarii Ordinis Reformatio, Authore P. Hieronymo à Sanctissimo Sacramento, hæc ab SS. D. N. Urbano VIII. Authoritate Apostolicâ confirmata fuit anno nimirum 1629. Habet hæc Congregatio nunc temporis duas Provincias, unam in Galliis, quæ sub Jurisdictione Majoris ac Generalis Ministri Patrum de Observantia Provinciarum Galliæ; & altera in Italia, quæ sub Majori ac Generali Ministro eorundem Observantium Hispaniæ subjacet. Non licuit his pariter propter contradictiones Patrum Calceatorum redimere Captivos, sed pecunias redemptionis dictis Patribus tradere tenebantur, ut fatetur ejusdem Congregationis P. Jacobus à S. Marco, qui P. Luciano Heraud ex Ordine Mitigatorum Redemptori anno 1642. mille libras de Redemptionis Eleēmosynis ex Conventu Aquensi tradidit: qui easdem non tantùm fideliter in Redemptione Captivorum expendit, sed seipsum pro Captivis ad captivitatem adstrinxit, in qua mortem hanc in vitam æternam commutavit, anno nimirum Christi Redemptoris nostri 1643.

23. Invenio tamen his Patribus excalceatis postmodum sui proprii Instituti permissam fuisse executionem; siquidem anno 1655. constat ex certis P. Franciscum à S. Laurentio ex eadem Familia Redemptorem fecisse Redemptionem, & 34. Captivos Fideles in libertatem asseruisse, inter quos fuêre duo Religiosi & tot Sanctimoniales. Hanc Redemptionem hac in Sacra Familia opinor esse primam, quam plures secutas fuisse non dubito, de quibus tamen certa notitia ad me non pervenit; quare pro nunc nihil de illis.

CAPUT XXIV.

De Gratiis, Favoribus, & Privilegiis, quibus fruitur Redemptio Captivorum.

1. DE Gratiis, Favoribus, & Privilegiis, quibus Pietate, & Benevolentiâ Principum, Regum, Cæsarum, atque Summorum Pontificum per omnia Regna, & Provincias totius Christianitatis fruitur Redemptio Captivorum, fusè admodum tractârunt non pauci graves Scriptores, quàm plurima Privilegia in specie, & ad literam legaliter ex suis originalibus extracta authenticè referentes; quæ omnia referre nec expedit, nec præterire omnia licet: cùm hoc non opportunum, nec illud necessarium sit: quare curtim, & in compendio de illis aliquid complecti, aptius quod hîc exigitur medium arbitror.

2. In Lusitania Syndici, & Collectores Redemptionis, quorum singuli in singulis Oppidis, & Locis constituuntur, eliguntur ad hoc homines probatæ Vitæ, bonæ Conscientiæ testimonium habentes, qui subordinati sunt Majoribus, Syndicis, quorum etiam in quolibet Episcopatu unus est, magnis gaudent Privilegiis, Præeminentiis, & Exemptionibus, nam inter cætera exempti sunt ab obligatione custodiendi Portus marinos, neque ad aliquod in Communitate, vel Republica præstandum Servitium obligari possunt, Domus eorum perpetuò sunt liberæ à militibus, si in aliquo delinquunt Ministri Justitiæ illos non audent comprehendere, nisi expresse à sua Sacra Regiaque Majestate demandetur, sunt exempti ab omni cujuscunque Nominis, vel Tituli tributo, neque pro reparatione mœniorum, pontium, fontium, viarum quidquam contribuere obligantur, nisi ipsimet horum, & similium sint particulares possessores. His & pluribus aliis fruuntur Privilegiis, quæ illis in perpetuum, & irrevocabiliter Sebastianus Rex Lusitaniæ

taniæ gratiosè concessit, ut eò diligentiùs in omnibus augmento Redemptionis intenderent.

3. Plurium Principum atque Regum quàm plurima sunt Privilegia, quæ Redemptioni Captivorum cedunt in favorem, & quibus uti possumus, quandocunque expediat, vel necessitas exigat: hæc etiam Summi Pontifices Apostolicis suis Literis laudârunt, & approbârunt, atque inviolabilis firmitudinis, & roboris in perpetuum esse voluerunt, & speciatim Benedictus XII., Urbanus V.; Benedictus XIII.; Nicolaus V.; Calixtus III.; Paulus II.; Sixtus IV.; Alexander VI.; Julius II.; Paulus IV., & V.; Gregorius XIII., & XV. Summi Pontifices quàm plurima Principum Privilegia in favorem Redemptionis diversis in Bullis confirmârunt, quin imò & ipsi his alia quàm plurima addiderunt, unum prætermissis multis videre libeat, & quidem Clementis VII., quod est sequentis tenoris:

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus in Christo Fratribus Archi-Episcopis, Episcopis, Dilectisque Filiis, & Filiabus nostris Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Priorissis exemptis & non exemptis, Decanis, Presbyteris, ac aliis Ecclesiarum Rectoribus, ac Capellanis, Curatis, ac non Curatis, ad quos præsentes Literæ pervenerunt, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

GRatum Deo credimus impendere famulatum, cùm Christi Fideles ad ea opera misericordiæ nunc exhortamur, per quæ salus mundi animæ utilia procurantur.

§. *I. Cùm itaque Ministri ac Fratres Ordinis Sanctæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Fratrum no-*

nostrorum Christianorum, totis viribus elaborent transeundo ad partes ultramarinas pro Afflictis ac Captivis Christianis redimendis, in manibus inimicorum Fidei Christianæ captis, ac detentis: & cùm dicti Fratres pro dictis Captivis redimendis corpora sua mortis periculo subjicere non verentur, videntesque dictos Captivos duris ac diversis tormentis afflictos ac cruciatos. Et cùm pro dictis Captivis redimendis, qui à Paganis captivantur (Altissimo permittente) ipsisque ab hujusmodi Captivitate liberandis (Divino coadjutante auxilio) continuò totis viribus elaborent. Attendentes itaque, quòd ad ea exercenda, propter diversarum onera expensarum eis propriæ non suppetant facultates, ac ad id opus tam pium ac laudabile peragendum eleemosynæ Fidelium sint quàm plurimum opportunæ.

§. II. Hinc est, quòd vobis omnibus Fratribus nostris Archi-Episcopis, Episcopis, mandamus ac præcipimus, firmiter injungentes, quatenus cùm Fratres dicti Ordinis Sanctæ Trinitatis ac Redemptionis Captivorum prædictorum, seu Procuratores, aut eorum Nuntii ad vos accesserint, cùm fueritis requisiti, vestras bonas, fortissimas, ac gratiosas pro petendis eleemosynis ad sustentationem prædictorum, literas Diœcesanas eisdem liberaliter concedatis.

§. III. Et vos Abbates, Priores exempti, ac non exempti, similiter Presbyteri curati, ac non curati, ac omnes alii prædictos Fratres, Procuratores, vel eorum Nuntios in Ecclesiis vestris benignè, gratiosè, favorabiliter, ac honestè recipientes, ac eisdem ob reverentiam Sedis Apostolicæ transeundo necessaria

saria ministretis sine tristitia. Vosque Decani, Presbyteri, Curati, ac non Curati, & Ecclesiarum Rectores dictos Fratres, Procuratores, aut eorum Nuntios prædicare Verbum Dei (quia sic eis indultum est per Sanctam Sedem Apostolicam) permittatis in prædictis Ecclesiis populo, prout à Latore præsentium, Fratribus vel eorum Nuntiis fueritis requisiti: diligenter, ostiatim, ac nominatim convocando de domo in domum omnes Parochianos vestros utriusque sexûs, ætatem habentes, in Ecclesiis vestris in unum congregari faciatis ad diem, locum, & horam, quas Lator præsentium vobis assignaverit, ipsosque spontaneâ expectatione pacificâ inter Missarum solemnia. Caveatis etiam, ne ad Divina Officia accedere præsumatis, quousque Verbum Dei, ac necessitates dicti Ordinis fuerint diligenter declaratæ.

§. *IV. Non obstante aliquâ inhibitione factâ per Prædecessores nostros in Capitulo de Quæstoribus in Concilio Viennensi, sive in aliis Capitulis: quia isti non sunt Quæstores, sed sunt veri Religiosi, ac approbati.*

§. *V. Item distinctè vobis præcipimus, ac mandamus* (in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis pœna, & privationis officii & beneficii, quam in vos ferimus, nisi feceritis quod mandamus) *quòd nullum verbum exhortationis, seu prædicationis per aliquem Religiosum, seu per aliquos Religiosos, Mendicantes, Quæstores, vel non Quæstores ad populum exponere permittatis illâ die, quâ ad vos accesserint Fratres prædicti, Procuratores vel eorum Nuntii.*

§. VI. Volumus insuper & præcipimus, quòd cùm dicti Fratres, Procuratores, vel eorum Nuntii ad aliquas Ecclesias advenerint interdictas, in eorum jucundo Adventu Ecclesiæ aperiantur, ac campanæ pulsentur, ac quòd idem campanis pulsatis, & januis apertis, Divina Officia celebrentur, ac corpora mortuorum ibidem Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ, nisi excommunicati nominatim fuerint, aut etiam publici Usurarii.

§. VII. Inhibemus insuper ac sub pœna Canonica, ne quis dictis Fratribus, Procuratoribus, vel eorum Nuntiis, Mandatum nostrum Apostolicum secum deferentibus in aliquo injuriare præsumat. In aliquibus Civitatibus, Castris, Villis, seu Ecclesiis, in quibus fractio seu injuriatio facta fuerit, vel Mandatum impeditum, seu etiam perturbatum, aut dictorum Fratrum Procuratorum, vel Nuntiorum ipsorum bona detenta fuerint, destituta, Ecclesiastice supponentes interdicto nulla ibidem celebrentur Divina Officia, præter Baptismum Parvulorum, ac pœnitentiam morientium, quousque Fratribus, Procuratoribus, vel Nuntiis supradictis de illatis injuriis fuerit plenariè satisfactum.

§. VIII. Quicunque autem Mandatorum nostrorum extiterint contemptores, rebelles, ac inobedientes, seu perturbatores in aliquo, eosdem denuntietis, campanis pulsatis, candelis extinctis, excommunicatos autem Auctoritate nostrâ Apostolicâ, ac anathematizatos, ac nunquam à prædicta denuntiatione cessantes, donec de eorum absolutione à Sede Apostolica impetrata vobis appareat competenter. Plebes vobis subditas

ditas piis exbortationibus, ac ſalutaribus monitis inducentes, ut de bonis à Deo ſuper terram collatis, ad ſuſtentationem præmiſſorum pias elargiantur eleemoſynas, ac grata ſubſidia Charitatis miniſtretis, ut illa penuria valeat conſumari, vobis incipientibus pariter verbo ac exemplo; ut per bæc & alia bona, quæ vos, ac ipſi (Domino inſpirante) feceritis, ad æterna mereamini felicitatis gaudia pervenire.

§. *IX. Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus benefactoribus dicti Ordinis Sanctæ Trinitatis ac Redemptionis Captivorum prædictorum, verè pœnitentibus, ac confeſſis, vel infra Annum confiteri volentibus, & eis, qui poſt declarationem noſtrarum indulgentiarum verè pœnitentes ac confeſſi fuerint, pro noſtris indulgentiis acquirendis in Feſtivitatibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, videlicet Nativitatis, Circumciſionis, Apparitionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ac Sanctæ Trinitatis, Eucbariſtiæ, ac in quatuor Feſtivitatibus Sanctæ Mariæ Virginis, per ſingulas dies dictarum Feſtivitatum ſeptem annos & tres quadragenas; item ac per totam Quadrageſimam ſingulis diebus unum annum, ac quadraginta dies. Si quis verò Clericus vel Laicus dictis Fratribus ſecundùm quantitatem ſubſtantiæ ſuæ, ac qualitatem criminis de bonis ſuis dederit, vel tranſmiſerit ad ſuſtentationem præmiſſorum, pro prædictis indulgentiis acquirendis, ſi infra annum vel in capite ejuſdem anni verè pœnitens & confeſſus moriatur, volumus, ac de gratia ſpeciali concedimus,*

quòd ab omnibus peccatis suis in Domino permaneat absolutus.

§. X. *Si quis verò Clericus vel Laicus hoc impediverit nisu, verbo, vel opere, diabolo instigante (quod non credimus) sciat, se excommunicatum esse, ac anathematizatum, ac quòd beneficium suæ absolutionis nullatenus obtinebit, quousque de damnis dicti Ordinis Sanctæ Trinitatis & contemptu Ecclesiæ satisfecerit competenter.*

§. XI. *Sacerdotibus verò Clericis ac Viris Religiosis, tam viris quàm mulieribus dictum negotium diligenter tractantibus, ac de bonis suis misericorditer erogantibus, quidquid in Divinis Officiis ac Horis Canonicis dicere omiserint per negligentiam, aut per defectum librorum, seu per infirmitatem corporis, misericorditer in Domino absolvimus.*

§. XII. *Ac omnes indulgentias à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris dicto Ordini Sanctæ Trinitatis & Redemptionis Captivorum, concessas, ex certa scientia confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus.*

§. XIII. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, se noverit incursurum.*

Dat. Perusii decimo quinto Kalendis Maji, Pontificatûs nostri anno primo.

Similis huic Bullæ ferè per omnia est alia Urbani V.: item

item Urbanus VI; Joannes XXII.; & Clemens VI. non omnino ab ista dissimiles in favorem Redemptionis expediverunt Bullas. Quod indulgentias attinet, revocatæ sunt generali revocatione Pii V. Summi Pontificis, qui omnes Indulgentias sicut & istas manus adjutrices porrigentibus concessas revocavit, cæteris tamen perpetuò valituris.

4. Gregorius XIII. Pontifex Max. ad instantiam Sebastiani Regis Portugalliæ Patribus Redemptoribus existentibus in terris Infidelium alia specialia concessit Indulta, & sunt sequentis declarationis, & tenoris:

Dilectis Filiis, Fratribus Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Provinciæ Portugalliæ.

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilectis Filiis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PAstoralis officii ratio postulat, ut Fidelibus, qui iniquâ conditione à Fide Catholica alienis personis servire coguntur, vestrâ operâ, Catholicorum Regum votis id exposcentibus, spirituale aliquod solatium offerramus.

§. *I. Exponi nobis siquidem nuper fecit charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliæ & Algarbiorum Rex illustris, vos ex pio instituto singulis fere annis in Africam conferre, & ubi sic exigit necessitas, vel congruæ eleemosynæ ad Captivorum Redemptionem congeruntur, consuevisse, quibus in locis aliquos in servitutem abductos, ab illa eximere quæritis, aliquos verò in Domino consolari, & quâ valetis ratione, illis Ecclesiastica Sacramenta ministrare studetis, ac ut servitutem forti animo ferre,*

re, ac in Fide Catholica constantes esse, memores sint: à peccatis verò (quæ iniqui mamonis tetra & deterior est servitus) abstineant, cohortari omni studio nitimini. Verùm cùm in dictis locis Ecclesiæ & sacra loca, in quibus Deo imprimis acceptabile Missæ Sacrificium peragi possit, nequaquam sint, contingat verò aliquos in servitute detentos, varios in casus & delicta, etiam à Fide deficiendo prolabi, idcirco nobis idem Sebastianus Rex humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè, quantum cum Deo nobis licet, animarum salutis & spirituali eorum consolationi providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur Catholicorum Regum desideria, præsertim ea, quæ zelo salutis animarum eorum, qui miserâ servitute vexantur, libenter exaudimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis & cuilibet vestrûm, qui pro tempore ad tam pia opera exequenda electi eritis, quòd Altare portatile cum debita reverentia & honore, super quo, in locis ad hoc honestis & congruis, etiam non sacratis, & cùm temporis qualitas id exegerit, etiam antequam elucescat dies, circa tamen diurnam lucem, in dictorum Captivorum, & aliorum Fidelium in dictis locis degentium præsentia, Missas & alia Divina Officia celebrare. Omnesque & singulos eorundem locorum utriusque sexûs Christi Fideles eorundem Confessionibus diligenter auditis, à quibuscunque excessibus & delictis, etiam in Bulla Cœnæ Domini legi solita contentis, vel etiam quòd à Fide desciverint, absolvere, ac ad unitatem Sanctæ Matris Ecclesiæ, & illius gremium eosdem restituere,

stituere, & Ecclesiæ reconciliare, ac pro commissis per eos, & eorum quemlibet, pœnitentiam salutarem injungere. Nec non his, qui peccata sua confessi, & de illis corde contriti fuerint, ac Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id fecerint, toties plenariam omnium & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino elargiri liberè & licitè valeatis, Apostolicâ Auctoritate tenore præsentium facultatem impertimur.

§. III. Nec non eosdem qui durâ servitute illis in partibus oppressi pro tempore fuerint, quotiescunque ab Ecclesia Romana illius thesauros reserari, & generales peccatorum remissiones per Romanos Pontifices etiam præscriptâ Fidelibus ad illas assequenda formâ, & statuto tempore in eisdem adjecto proponi contigerit, cùm primùm illarum ad eosdem Captivos notitia pervenerit, aliqua agendo, quæ naturali libertate privatos verisimile est facere posse, illas omnes consequi, quæ alii Fideles tempus, & formam exactè in illarum concessione tradita observantes consequerentur, eisdem Auctoritate Apostolicâ & tenore volumus & decernimus. Quibuscunque in contrarium facientibus nequaquam obstantibus.

Dat. Romæ ~~apud~~ S. Petrum sub Annulo Piscatoris die vigesimâ Januarii, ~~millesimo quingentesimo~~ septuagesimo quarto, Pontificatûs nostri anno secundo.

Cæsar Glorierius.

5. Sixtus V. Sum. Pontif. anno 1586. die 8. Maji nobis eandem quasi Bullam concessit, propterea illa Privilegia, & indulta sunt pro universo Ordine perpetua,

&

& absoluta, uti patet ex ipso contextu, & concessione Indulgentiarum. Quinimo defacto, dum ista sub typo premuntur, certa notitia venit eorundem Privilegiorum, præcipuè quod attinet celebrationem in Altari Portatili, & Absolutionem à quibuscunque Casibus reservatis, Literis Apostolicis à Sanctissimo D. N. Clemente IX. specificè, & expreßè pro his, & Orientalibus atque Septentrionalibus partibus impetratam fuisse extensionem; cujus Authenticum jam in via, & in brevi expectatur. Verùm respectivè totum hoc parum est, SS. D. N. Urbanus VIII. multò plura, & longe majora S. N. Ordini concessit Privilegia, quæ quidem tanta sunt, ut majora esse non possint; nam in Bulla Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1634. quinto Kalendas Aprilis, Pontificatûs sui anno undecimo expedita omnium Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, Privilegia, Libertates, Immunitates, Exemptiones, Præeminentias, Indulta, Favores, Indulgentias, & quascunque Prærogativas, & Gratias Spirituales, & Temporales, &c. quamvis illa sint speciali notâ digna, difficilisque Concessionis, & quæ in Generali Concessione non veniunt, non solùm per Communicationem, Participationem, aut Extensionem, sed speciatim, & nominatim, ac pariformiter, & æquè principaliter, ac si ex certa scientia, & motu proprio Sacro Nostro Ordini concessa fuissent, concedit; ut iisdem uti, frui, & gaudere possimus, dummodo sint in usu, & non revocata. Ipsa Bulla, dicta hæc, pleniùs & perfectiùs exprimit, quæ meritò & veraciter Aurea, & Mare magnum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum appellari potest, cui similem ante Urbanum VIII. non est reperire, quæ, cùm sit notatu dignissima, eandem hic recitò:

U R-

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei,

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

REdemptoris nostri Jesu Christi Salvatoris exemplo, quo seipsum exinaniens, formamque servi accipiens, sui sanguinis profusione nos redemit, assiduâ meditatione pensantes continuis excitamur stimulis, ut tantæ liberalitatis memores, gemitus maximè filiorum Ecclesiæ in vinculis compeditorum, & misericordiam à nobis postulantium audientes, paternâ solicitudine ad opem illis, quam possumus, ferendam eò promptiùs excitemur, quò illos apud gentes barbaras, & incultas durior servitus premit, vincula coarctant, perdita patria, & amissi parentes affligunt: nec non eorum, quos frequens Sacramentorum Ecclesiæ participatio non recreat, imo spiritalis perditionis evidentiùs terret periculum, saluti, quantum cum Domino possumus, libènter consulamus, illosque ab illa miserabili servitute sublevemus: ac operarios illi messi, quæ utique non pauca extitit, ex professo invigilantes adjuvemus, eorumque pium exercitium, quo ipsi labores expeditiùs suscipiendo, & favoribus, quibus possumus, amplissimis confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. I. *Sanè quidem felic. record. Paulus Papa V. Prædecessor noster Congregationem Fratrum Discalceatorum Ordinis sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis*

Captivorum, Hispaniarum, inter cœteros Mendicantes Ordines adscripsit, ac illam, & illius Fratres sub Mendicantium nomine comprehendi debere decrevit, & declaravit. Ac propterea omnia privilegia immunitates, exemptiones, facultates, libertates, indulta, & alias gratias Mendicantium Ordinibus concessas ad ipsam Congregationem ejusque Fratres, Domos, Ecclesias & loca, extendit & ampliavit. Omnia præterea privilegia speciali quoque notâ digna, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, gratias tam spirituales quàm temporales, universo sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordini, illiusque Domibus, Ecclesiis, Superioribus, ac Fratribus, concessa præfatæ Congregationi pariter concessit, communicavit, & extendit, ac alias prout in literis Apostolicis desuper expeditis plenius continetur.

§. II. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis de Annuntiatione ipsius Congregationis Procuratoris Generalis, petitio continebat, Fratres & Religiosi ejusdem Ordinis, juxta particulare eorum Institutum à piæ memoriæ Innocentio Papa III. etiam Prædecessore nostro approbatum, & sub Regula propria Sanctis Patriarchis Joanni & Felici dictæ Religionis Fundatoribus, tradita, in Captivorum Redemptione pro viribus occupentur, & longos, ac tædiosos labores in transfretando mari, & apud ipsos infideles dietim sustineant. Et non modò in Redemptione ipsa, quæ ad omnes Captivos nunquam extendi potest, sed etiam exhortationibus, concionibus, & admonitionibus ad reliquos, qui dictam duram servitutem

vitutem continuant, ne fides eorum deficiat, occupentur, proprias facultates libenter exponant, discrimina quælibet, & pericula alacriter indefessi subeant. Et ut tam pium opus eò alacriùs Fratres ipsi continuent, & utiliùs exequantur, promptioresque ad id reddantur: Ac propterea plurimùm cupiant, aliarum Religionum & Ordinum Gratias & Privilegia hactenus à Sede Apostolica concessa, Congregationi præfatæ, illiusque Fratribus, & locis, per nos & Sedem eandem, ut infrà, concedi, & communicari. Quarè pro parte ejusdem Joannis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsius Congregationis ampliationi in præmissis opportunè providere, & consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur ipsius Congregationis augmentum, & conservationem firmissimis vallare præsidiis desiderantes, ipsumque Joannem, ac singulas personas ejusdem Congregationis à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis à jure & ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodocunque innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, horum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non literarum præfatarum tenores etiam veriores, ac Datas præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati. Ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum, Congregationi Fratrum Discalceatorum prædicti Ordinis sanctissimæ Trinitatis

 Re-

Redemptionis Captivorum, illius Domibus, & regularibus locis sub illa comprehensis, nec non Ministro Generali pro tempore existenti, Diffinitoribus, ac Procuratoribus Generalibus, Visitatori, Consultoribus, Assessori, Ministrisque Provincialibus, & Conventualibus, & singulis in ea professis Fratribus pro tempore ad Captivos redimendos transmissis, & Capitulis Generalibus, Personis Regularibus, Novitiis, Conversis, Donatis, oblatis, ministris, famulis, cunctisque tam Officiariis quàm Domesticis inservientibus, & cæteris primodictæ Congregationis, ac Domorum & Regularium locorum Personis quibuscunque pro tempore existentibus, nec non quibusvis aliis Personis, ac Christi Fidelibus illorum Ecclesias, seu Capellas pro tempore visitantibus; ut omnibus & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque prærogativis & gratiis uinversis & singulis, tam spiritualibus quàm temporalibus, singulis Domibus, Conventibus, & aliis Regularibus locis ac Personis tam Canonicorum, quàm Clericorum Regularium ubivis existentium institutis, & non solùm Ordinibus Monasticis, Regularibus, Mendicantium, & non Mendicantium, tam pro redimendis Captivis, quàm aliàs quomodolibet Ordini sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, Conventibus, & Fratribus, nec non Ordini Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, ac etiam omnibus & quibuscunque Congregationibus Regularibus, & præcipuè Clericorum Re-

Regularium infirmis ministrantium, & Canonicorum Congregationis sanctissimi Salvatoris Lateranensis, Sancti Salvatoris de Bononia, ac etiam sancti Ruffi Valentiæ, & sanctæ Crucis Colimbriæ, Clericorum Regularium de Somascha, & Pauperum Matris Dei ac Scholarum Piarum; ipsisque Monasticis Congregationibus, etiam Cassinensi, aliisque Monachis & Monasteriis sancti Benedicti, sancti Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conventui Beatæ Mariæ de Guadalupe, nec non Societati Jesu, ipsisque Carthusiensium, Præmonstratensium, & Reformatorum Cistercienium, Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque Familiis & Societatibus Regularibus, ac quibuscunque Personis nunc, & pro tempore existentibus præfatorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, Congregationum Regularium per Nos, & Sedem prædictam, ac alios quoscunque Prædecessores nostros Romanos Pontifices, nec non ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & de latere Legatos, & quovis Sedis prædictæ Nuntios, vel etiam tam Apostolicâ prædictâ, quàm Ordinariâ, & Regiâ, vel Imperiali auctoritatibus respectivè, aut aliàs quomodolibet, sub quibuscunque verborum expressionibus & tenoribus in genere vel in specie, ac partialiter, tam per modum communicationis & ampliationis, quàm simplicis & individuæ ac particularis, & specialis concessionis, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis hactenus vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tam in vita, quàm in mortis articulo, etiam

circa peccatorum remissiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti frui, potiri & gaudere possunt, & quomodolibet in futurum; Quamvis illa sint speciali notâ digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solùm per participationem, communicationem illorum, extensionem, & ad illorum instar, sed speciatim, & nominatim, pariformiter, & æquè principaliter in omnibus & per omnia, absque ulla prorsus differentia perindè ac si illa primodictæ Congregationi, illiusque Capitulis Generalibus, Ministroque Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & Personis præfatis specialiter expresfsè, & nominatim per viam, & modum simplicis, & individuæ ac particularis, & specialis Concessionis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis & ampliationis concessa fuissent, quatenus tamen sunt in usu, ac non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, uti, frui, potiri, ac gaudere liberè & licitè possint & valeant. *Ita quòd omnes, & singuli primodictæ Congregationis, & illius Domorum, locorumque Regularium Superiores, ac Ministri, quocunque nomine appellati, eosdem favores, gratias Apostolicas, & privilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Jesu, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum Regu-*

Regularium, & Familiarum Generales, Superiores, Præpositi, Provinciales, Rectores, Priores Conventuales, aut Claustrales, Visitatores, Guardiani, Custodes, aut alio quocunque nomine, titulo, aut dignitate insigniti habent, similiter, ut suprà, habeant. Fratresque, & Personæ, & cæteri alii cujuscunque appellationis Præpositi & Præfecti in primodicta Congregatione expressè professi, & in ejus gremio & observantia viventes, Fratres & Personas Regulares primodictæ Congregationis cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apostolicis Ordinum, Congregationum hujusmodi perpetuò secundùm observantiam Regularem, & Canonicum Institutum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, regere & gubernare, & respectivè visitare valeant. Neque primodicta Congregatio super præmissis omnibus, & singulis, à quoquam quâvis auctoritate vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut aliàs quomodolibet in judicio & extrà impediri possit, Apostolicâ Auctoritate prædictâ earumdem tenore præsentium perpetuò concedimus & indulgemus.

§. *IV. Decernentes, easdem præsentes semper & perpetuò tanquàm divini cultûs, & bonorum operum augmentum, & Religionis propagationem tendentes, validas & efficaces esse, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis firmiter atque inviolabiliter observari & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore quovis prætextu, occasione, vel causâ recedi, aut resiliri.* Easdemque præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum, revoca-

cationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos & Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, Sedemque præfatam ſub quibuſcunque tenoribus & formis, & cum quibuſvis clauſulis, & decretis pro tempore factis, minimè comprehendi, vel confundi; ſed ſemper & perpetuò ab illis excipi, & quoties illa emanebunt, toties in priſtinum atque validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriori Data quandocunque eligenda, conceſſas eſſe, & fore, primodictæque Generalis Miniſtri & Fratrum Diſcalceatorum hujuſmodi Congregationi ſuffragari.

§. V. *Sicque, & non aliàs per quoſcunque Judices, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, ac Sedis Apoſtolicæ Nuntios, judicari & diffiniri debere.* Irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quàvis Auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. VI. *Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, & in Synodalibus, Provincialibuſque & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non Regularium Domorum, Locorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione, Apoſtolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudini-*

dinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis primodictæ Congregationi, illiusque Superioribus, & Personis in genere, vel in specie, ac aliàs sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam iteratis vicibus quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio babenda, aut aliqua alia exquisita forma ad boc servanda fore, illis aliàs in suo robore permansuris, bâc vice duntaxat specialiter & expressè barum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. *VII. Volumus autem, quòd ipsarum præsentium exemplis, seu transumptis etiam impressis, & alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo, & Notarii publici manu obsignatis stetur, eademque prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exbibitæ vel ostensæ.*

§. *VIII. Nulli ergo omnino bominum liceat banc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem boc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.*

 Dat.

Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, quinto Kalend. Aprilis. Pontificatûs nostri anno undecimo. S. Sabinus. F. Collicola. R. Hosaunis. C. Ponsardus, C. Colinus.

6. Nihil est in hac Bulla, quod non sit expressum; nihil est, quod sit prætermissum; omnia anticipat dubia, omnes ipsa resolvit difficultates, prævertit objectiones, infringit argumenta, cuncta denique transcendit. Privilegia & indulta sunt amplissima, & singularissima, & omni claritate expressa; ubi notanda sunt illa præsertim quæ §. III. specificantur; nam de Jure *In Generali concessione non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, à quo pariter præcautum est, declarans: *Quamvis illa sint speciali notâ digna, difficilisque Concessionis, & quæ in generali Concessione non veniunt, &c.* Notat tamen hîc noster Scholiastes P. Josephus à Jesu Maria, pro illorum executione sciri oportere aliarum Religionum, Congregationum, & Societatum Privilegia, an sint in usu, & non revocata, neque sub aliqua revocatione comprehensa, aliàs eis uti non licere. Eruditè satis circa hoc disputârunt, & scripserunt Theologi; R. P. Petrus ab Angelis ex observantissimo Carmelitarum Discalceatorum Ordine tenet cum Rodriguez, Miranda, & aliis, per usum intelligi valorem; ita ut idem sit dicere, quatenus sint in usu, ac dicere quatenus sint valida: quia non communicatur usus alterius Religionis, aliàs his semper uti deberemus; sed liberum Jus utendi. Addit tamen num. 41. quòd si non apparet talis usus privilegii, non licet uti illo, nisi probetur: in foro tamen externo, alleganti non usum incumbit onus probandi. Videantur quoad istam clausulam Peyrin *Tom. de Privileg. Constit.* 15. *Julii II.* §. 3. Lezana *qq. Regul. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 15. *num.* 17. Barbosa *d. clausul usufreq. clausf.* 124. *n.* 1.

Cap. in generali 18. *de regul. Juris in* 6. *cap. fin. de offic. Vicar. eod. lib. & cap.* 2. *de panit. & remiss. eod. etiam lib.*

Bullar. Ord. Schol. in 27. *Bul. Urbani VIII. n.* 2.

In specul. privil. Regul. disp. 2. *sect.* 2. *n.* 30.

7. Idem

7. Idem præfatus R. P. ab Angelis *eodem supra citato Libro* perpetuam hujus Bullæ irrevocabilitatem §. 4. expressam se capere non posse, asseverat, & velle hac in parte instrui. N. P. Ludovicus à Conceptione *Lib. 7. de Potestate Regular. tract. unico pag.* 320. jam doctè satis, & eruditè eidem respondit, explicuitque prædictæ Bullæ §. Procul dubio ex hæc Bulla, & eisdem clausulis multæ celebres, & apprimè utiles erui possent Theologicæ Quæstiones, à quibus tamen supersedeo, & hæc, & similia eruditioribus, & perspicatioribus ingeniis relinquo. *Disp. 7. de confir. Privil. sect. 2. num. 14.*

CAPUT XXV.

De amplissima Facultate Ordinis Sanctissimæ Trinitatis quærendi Eleëmosynas pro Redemptione Captivorum.

1. SAtis jam ex præmissis deduci, concludique potest, quàm ampla Sacro Ordini Sanctissimæ Trinitatis à Sede Apostolica concessa sit Facultas in omnibus Regnis, & Provinciis totius Christianitatis Eleëmosynas pro Redemptione Captivorum conquirendi; & meritò, nam actu permisso omnes etiam intelliguntur permissæ qualitates necessariæ ad subsistentiam illius actûs: ob Sacrum nostrum Redemptionis Institutum imposita est nobis quasi necessitas mendicandi, siquidem Religiosi pauperes, neque alio medio huic obligationi satisfacere possent. Et licèt Sacer Ordo admittat bona tum pro sustentatione Religiosorum, quàm pro Redemptione Captivorum, facultas mendicandi per hæc nec in minimo infirmatur, quia bona tanta esse non possunt, quæ sufficerent, ut omnes Christiani redimerentur.

2. Difficile, fateor, est mendicare, & ut inquit Seneca: *Molestum Verbum est, onerosum demisso vultu dicendum, rogo.* Additque, quòd nec à Diis homines quidquam petituri essent, nisi secretò hoc facerent. Felices in hoc

 no-

nostri Patres Lusitani, quibus à Regiis Ministris ità provisum est, ut ipsi ab hujusmodi molestis mendicationis laboribus excusati, suas pro Captivis Eleemosynas domi percipiant; quo illorum ut plurimùm alleviantur Redemptiones: nobis autem non ità; cariores nostræ sunt Redemptiones, siquidem verificatur, quod erat jam antiquis commune: *Nulla res cariùs constat, quàm quæ precibus empta est.* Sed hoc non est totum & maximum onus, dum nimirum petimus, quod sponte & ex nulla justitia, sed ex pura liberalitate Fideles prò Captivis offerre volunt; multò majus & gravius est onus, petere, ubi Justitia intercedit: pium aliquando pro Redemptione fit legatum (quod tamen sit procul ab omni crisi) petitur, quod ex obligatione omitti non potest; exigimus, cui cedere non valemus; quæ nobis non sunt indigna tunc devoranda, dum à partibus litigantibus hinc inde trahimur, & in ambiguum suspendimur; dum verò Captivorum negotium debitè, ut obligamur, tractamus, & insistimus, ut decernatur quod justum est, oppressores Viduarum, & Pupillorum à malevolis sæpiùs audimus, inimicos, & adversarios patimur sæpiùs cum offensione Benefactorum; & hoc nobis temporale *in* hoc mundo ex Redemptione accidit interesse; *quod* si quis invideat, habeat, licèt hoc nec inimicis optaverim.

3. Plura ut prætercam, quæ satis patent, *sufferenda* incommoda; non defuêre quidam quibusdam in Regnis, præcipuè in Regno Aragoniæ, qui omnibus his nihil obstantibus à Principibus tam Ecclesiasticis, quàm Politicis petierunt Literas, & Privilegia privativa, quibus nimirum sibi solis, & præter sibi nullis mendicare liceret: verùm quàm hoc absurdum, & impium atque contra omnem Christianam Charitatem sit, nemo est qui non cognoscat. Si dare, vel non dare cuicunque liberum est; petere non liberum erit? Si hoc justè, vel licitè fieri posset, majori jure nos propter multos titulos, & rationes urgentissimas, tales Literas

pri-

privativas petere, & impetrare possemus: sed absit talis petulantia: tantum namque Operibus Charitatis insistendum est, quantum ipsa Charitas exigit, & Justitia permittit.

4. Et licèt tales Literæ impetrentur, nullius profectò essent roboris, & valoris, etsi ab ipsa Sede Apostolica emanâssent, nisi specialis mentio fiat de Ordine nostro, sic enim jam Honorius III., & ante Honorium Innocentius III. cum aliis multis Summis Pontificibus suis in Bullis declarârunt, nimirum: *Paci, & quieti Ordinis vestri Paternâ volentes solicitudine providere, ad instar felicis recordationis Honorii Papæ Prædecessoris nostri auctoritate vobis prædictâ indulgemus, ut literæ contra vos à Sede Apostolica impetratæ non valeant, nisi expressam de Ordine vestro fecerint mentionem, &c.* Quod factum est ideo, quia Summi Pontifices, cæteriqúe Principes sive Sæculares, sive Ecclesiastici talibus Literis nos comprehendi nolunt, & quotiescunque tales Literæ emanaverint, ut semper noster Ordo intelligatur exceptus.

5. Reges & Principes, Archi-Episcopi & Episcopi, & cujuscunque Dignitatis, vel Ordinis Dynastæ sint, omnes Apostolicarum dispositionum defensores, & eorundem Jurium sunt executores, proinde nullo modo his contraire licet, neque petentibus tales Literas concedere possunt in subjecta materia, præcipuè quæ præjudicent Canonico Redemptionis Captivorum Instituto, ex quo quàm plurima toti Christianæ Reipublicæ provenire emolumenta, & impediri detrimenta, apud omnes in confesso est. Quod cùm benè perpendisset Eminentissimus D. Leopoldus S. R. E. Cardinalis à Kollonicz Archi-Episcopus Strigoniensis, & Regni Hungariæ Primas, in toto Regno Apostolico Privilegia nostra tenore sequentium rata confirmataque habuit:

NOs Leopoldus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli S. Hieronymi Illyricorum, Archi-

Episcopus Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis, Locique ejusdem, & Comitatûs supremus, ac perpetuus Comes &c. &c. *Divinis par Oraculis, ac Christianæ Pietatis Officium, Charitatem sectari censemus, cujus promovendæ studio, cum sanè ex Institutione in publicum bonum RR. PP. Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Discalceatorum de Redemptione omnes suos Conatus in pauperum Captivorum barbarica servitute manicipatorum levamen impendant, & præsertim cùm præfatorum PP. Religio à tot Sæculis in Universa Dei Ecclesia sit per Summos Pontifices inter Mendicantes connumerata, atque eorundem privilegiis præmunita, ut per omnes Christianæ Reip. Provincias, ad tam pium opus perficiendum, ipsorumque congruam sustentationem Religiosorum habendam eleemosynas emendicare, fideliumque auxilium implorare liberè, & absque contradictione possint ac valeant, idque ipsum à Nobis confirmari, Nostraque facultate ratum haberi in Regno Hungariæ humiliter postulaverint; idcirco tenore præsentium omnibus pro memoria damus, quòd ubi eorundem Bullas & privilegia irrefragabilia attentè revidimus, & perlustravimus, Levamenque pauperibus Captivis apud Ecclesiæ immanissimos hostes commorantibus per ipsos jugiter offerri solitum, non sine cordis jubilo perpendimus; non obstantibus aliorum Ordinum privilegiis, non modò licentiam, facultatemque impertimur, ut per universum Regnum Apostolicum in perpetuum emendicationem instituere possint, sed omnibus Christi Fidelibus, tam Ecclesiasticis quàm Secularibus prædictos RR. PP. recommendatos haberi cupiamus. In quorum fi-*

fidem has manu propriâ subscriptas, & consueto Sigillo Nostro roboratas expediri demandabamus. Viennæ die trigesimâ Junii Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo nono.



LEOPOLDUS Cardinalis à Kollonicz, Archi-Episcopus Strigoniensis.

6. Huic confirmationi alia multa Regia privilegia in corroborationem, & firmitudinem sacri & Canonici Instituti, quod profitemur, subjungere possem, verùm nec tempus nec locus patitur; requirenda sunt illa apud alios Authores, qui satis fusè illa referunt: Solum quod hîc significo, est, hæc privilegia tam de *jure Canonico* quam de *jure civili* esse irrevocabilia; quod eleganter probat Montalvus. D. Franciscus Solgado *de Reg. protect. cap.* 1. *n.* 355. *&* *n.* 358. & latissimè Marta *de jurisdict. parte* 4. *cent.* 1. *casu* 52. *ex num.* 15. pluresque alii. Neque hæc Regiæ Majestatis impotentia vel imbecillitas æstimanda est, sed summa Rectitudo & Justificatio; nam sicut non est defectus in Deo, non posse deviare ab eo, quod rectum, justum, & sanctum est, quia hoc essentialiter ipse Deus est, & deficeret à suo esse, si deficeret à recto & justo; & hoc quod in Deo impossibile est, licet possibile sit in Creaturis, non est hæc potestas sed imbecillitas potius & miseria humana.

7. Inquiritur nunc: quid futurum? Si quis Principum revocare intenderet hæc vel similia privilegia, quæ sui Prædecessores Ordini sanctissimæ Trinitatis in suis Provinciis & terris petendi eleemosynas concesserunt. Et respondetur cum N. P. Raphaële, quòd hic ageret contra omne jus, & talis revocatio esset irrita, & nulla, quia dictus Ordo haberet alium titulum liberè petendi eleemosynas, nimirum concessiones & Bullas Summorum Pontificum, præcipuè cùm hæc sint admissæ per prædictos

L. omnia Privilegia 24. C. de Episcop. & Cleri. Impp. Arcad. & Honor. in l. quacunq. 29. C. Theod. de Episcop. Eccles. & Cleri. Baron. Annal. tom. 5. ad ann. 395. n. 30. can. 12. & 20. 25. quaest. 2. Montal. in l. 1. gloss. 5. lib. 1. fori.

dictos

dictos Prædecessores Principes, ut sunt in Regnis Castellæ & Aragoniæ à quingentis annis. Quod & ratio convincit; quia ibi concurrunt duo vincula, & jura, licèt tollatur unum, manet aliud cum toto suo robore, valore, & effectu; quod autem sint admissæ, testantur ipsa privilegia, in quibus sunt relatæ, & ad instar illarum Apostolicarum concessionum Regia concessio, corroboratio & confirmatio consecuta fuit. Neque in tali casu potestas Principum contra nos de Jure agere posset, quia concedere facultatem petendi eleemosynas pro operibus piis absolutè spectat ad Jurisdictionem suæ Sanctitatis, & Ecclesiasticorum Ordinariorum, uti clarè videre est in Conciliis & Authoribus in margine citatis. Cùm autem hæc sit materia, in qua summorum Pontificum & Ordinariorum jura fundantur, legitima est illatio, potestatem sæcularem non posse prohibere nec impedire privilegia per Bullas Pontificias concessa, quia esset immediatè contra immunitatem, & manifesta derogatio jurium Ecclesiasticorum.

8. Quod tamen cavendum atque impediendum moneo, est: ne nimirum sub specie Redemptionis Errones & impostores quidam turpis lucri gratiâ sibi licentias mentiantur, & mendicent, qui ab Ordine delegati non sunt, quod sæpiùs jam haud parvo cum scandalo contigit; hi examinandi, & severè ut falsarii & Deceptores corripiendi sunt; ne tamen hoc in passu erretur, vel excedatur absque tumultu consulendus est Ordo, qui protinus nuntiabit, à quo vel unde tales missi sint.

§. Affinitat. Instit. de nuptiis cũ cõcordantibus. Latiss. Tiraq. de retract. Cõvent. §. 2. glos. unic. per totum Solgad de Regia protect. cap. 1. prælud. 5. n. 349. Cõcil. Vien. in Clem. abus. 2. de pœnit. & remis. Concil. Trid. ss. 21. de reform. cap. 9. Franc. de Leon in thesau. fori Eccles. 4. part. cap. 2. n. 146. Aug. Barbos. de potes. Episc. 3. p. alleg. 109. n. 9. & seqq.

9. Cæterùm omnes Christi fideles in visceribus Jesu Christi hortatos atque obtestatos esse velim, ut se erga illos maximè indigentes, & omni alio humano destitutos auxilio Christianos sub jugo infidelium gementes, & libertatem amissam suspirantes, exhibeant favorabiles atque benignos; quilibet Christianâ Charitate, & spe cœlestis retributionis pro facultatum substantia vel modicum contribuat; si nec hoc propter egestatem possit, pre-

preces offerat, ut hi in fide conſtanter perſeverent, atque quantocitius è faucibus Luporum infidelium, è corporis & animæ periculis eruantur; ad hoc & nos opera noſtra cumulamus, dum non tantùm precibus apud Deum pro Redemptione eorum diu noctuque inſtamus, ſed adhuc tertiam nobis de bonis indifferenter relictis, de noſtra licèt ſuſtentatione, ſubtrahimus, & in Redemptionem ſeparamus; ſi iſta non ſuffecerint, vitam & ſanguinem, ſi opus fuerit, promptiſſimè addimus.

10. Hîc ab errore & æquivocatione penitùs eliberare deſidero, exiſtimantes nobis temporale aliquod intereſſe ex Redemptione Captivorum reſultare; omni cum claritate loquor: qui tertiam partem de eleemoſynis Captivorum ſibi in ſuum uſum convertit, non eſt Ordo ſanctiſſimæ Trinitatis, ut quidam autumabant, ſed Ordo B. V. Mariæ de Mercede, de quo ſuprà, qui, his in partibus cùm ſit incognitus, apud multos cum Ordine noſtro eſt in æquivocatione. Hic enim Ordo de Mercede à Leone X. Summo Pontifice anno Domini 1519. die 11. Junii indultum impetravit, quo dictam tertiam partem ex eleemoſynis pro Captivis datam in ſuum commodum convertere poſſit, quod jam pridem ante indultum Apoſtolicum fecerat, ut cognoſci poteſt ex privilegio Alphonſi V. Regis Aragonum anno 1442. ſexaginta quatuor annis ante prædicti Leonis Bullam expeditum.

11. Ordo verò ſanctiſſimæ Trinitatis de eleemoſynis pro Redemptione Captivorum datis, nunquam aliquid in ſuum uſum derivavit, neque derivare poteſt, imo, ut dictùm, tertiam partem de bonis indifferenter, etiam ad propriam ſuſtentationem relictis, pro Redemptione Captivorum ſeparare ſtrictâ obligatione tenetur, uti ſuprà cap. 9. num. 4. memoratum manet; quod in ſacro noſtro Ordine ab exordio uſque in hæc tempora ſtrictiſſimè ſemper atque inviolabiliter obſervatum fuit. Soli Provinciæ Caſtellæ (non dico de eleemoſynis Captivo-

rum, ſed tertiam partem indifferenter acquiſitorum) ut in ſuum uſum convertere poſſit, olim ad tempus conceſſum fuit, nec inde valet conſequentia, totum Ordinem fuiſſe in illa conceſſione comprehenſum: quòd autem hoc huic Provinciæ ſolummodo conceſſum fuerit ad tempus, juſtæ & urgentiſſimæ neceſſitârunt rationes; etenim in illa memorabili ſtrage, quam Inviĉtiſſimus Carolus V. Romanorum Imperator Africanis in Algirio regno intulit, quàm plurimi Cæſariani Milites ab hoſtibus capti, in diram & Chriſtianæ Reipublicæ pernicioſam mancipati ſunt infidelium ſervitutem, quibus ut conſulerent Patres prædiĉtæ Provinciæ, Calices, argenteas Cruces, Vaſa ad divina miniſteria ſpeĉtantia, pretioſa cunĉta Eccleſiarum ſuarum ſuppelleĉtilia alienârunt, & in unum conflârunt pretium; multas prætereà vendiderunt poſſeſſiones, oppignorârunt hæreditates imò oĉto millium ducatorum, ad cenſum contraxerunt debita, & ſuper omnia aliquos Religioſos pro Captivis ſubſtituerunt & oppignorârunt, quibus quingentos Cæſarianos milites à vinculis & hoſtium ſervitute emancipârunt, atque in priſtinum libertatis gradum reſtituerunt; quo faĉtum eſt, ut omnia ferè monaſteria illius florentiſſimæ Provinciæ ſpoliata, vix non perditum irent, niſi illis tempeſtivè de remedio provideretur; & ut hoc graviſſimum damnum tam Ordini quàm toti Chriſtianæ Reipublicæ, imo & ipſis Captivis averteretur, ad inſtantiam *Glorioſiſſimi* Cæſaris Caroli V. apud Adrianum VI. ſummum Pontificem anno Incarnationis Dominicæ 1522. pridie Kalendas Septembris impetratum eſt, ut durante hac neceſſitate, à ſeparatione tertiæ partis de bonis indifferenter monaſteriis acquiſitis abſolverentur, ut eandem in monaſteriorum reparationem convertere poſſint, intaĉtis tamen ſemper quæ pro Redemptione Captivorum ſpecialiter data vel acquiſita fuerint. Jam pridem divino auxilio ceſſavit neceſſitas, expiravit indultum, jamque ad tertiæ partis ſeparationem prædiĉta Provincia ut antè obligatur.

12. In


12. In tali casu, ubi nimirum extrema laborat necessitas, vel grave timetur damnum tam Religiosorum quàm Captivorum, nullo modo ad tertiæ partis separationem ex ipsa Legislatoris mente obligamur; imo de lege naturali, quæ prævalet cuicunque legi positivæ humanæ imò etiam divinæ, à tali obligatione excusamur, ne dicam, prohibemur; & hæc est tam Theologis quàm Jurisperitis communissima atque receptissima Doctrina. *Quæcunque* enim *vel moribus recepta sunt, vel scriptis comprehensa, si naturali Juri fuerint adversa, vana & irrita habenda sunt*: utriusque Juris erat axioma.

8. dist. 2. p. dignit. & dist. 9. in fin. D. August. lib. 3. Confess. cap. 8. & D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 5.

13. Et ut nihil circa hanc separationem celem, ulteriùs hæc nostra sacra Regula decernit, cujus hic est textus: *Cum verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud, licèt specialiter, & propriè detur ad aliquid, semper tertia pars separetur; exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificiis, nutrituris, & similibus. Fructus enim inde exeuntes deductis expensis, scilicet medietate remotâ pro expensis, in tres partes dividantur æquales: sed quæ paucas, vel nullas recipiunt expensas, omnes dividantur. Cum verò panni rudes, vel Sandalia, vel minuta hujusmodi, quibus necesse sit uti, quæ vendi vel conservari non expedit, data fuerint, vel à se ipsis habuerint, non dividantur, nisi Ministro Domus, & Fratribus visum fuerit expedire: de quibus singulis Dominicis diebus, si fieri possit, in Capitulo deliberetur. Si tamen prædicta, ut panni, terræ, nutritura, seu minuta vendantur, pretium indè proveniens in tres partes, ut suprà, dividatur. Cùm verò Fratres in itinere, sive peregrinatione fuerint, si quid eis datum fuerit, inde vivant, & residuum in tres partes dividant. Tamen si fuerint in via profecti ad redimendos Captivos, quidquid eis datum fuerit, totum debent ponere in Redemptionem Captivorum præter expensas.*

Reg. cap. 2.

14. Ex his omni sinceritate relatis apparet, quàm magni Tributarii simus Captivorum; si enim multis grave est decimam suorum partem deputare Ecclesiæ vel Dominis temporalibus, quid foret, si ad tertiam partem, uti nos, & tam strictè obligarentur? Hinc substantia



ἈΠΟΣΤΡΟΦΉ

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS,

NEC NON

Ordinis SSS. Trinitatis Confratribus, & *Redemptionis Captivorum Benefactoribus.*



Otus hic Vester Tractatus est, Fideles in Christo Redemptore nostro conjunctissimi, vobis eundem statuo in triumphum, quem vestra vobis misericordia promeruit, Charitas adornavit: in quo de Vobis Vestrisque Piis in Redemptionem Prædecessoribus indelebile inscribo Memnosynon; æviternum Posteritati transmitto exemplar; afflictis Patriam suspirantibus Captivis opportunum fero solatium; universis denique exinde beatæ ac optatæ prædestinationis indicia pando non obscura. Et equidem in terris aliquando fecisse felices, in cœlis in æternum felices faciet; hîc vinculis absolvisse alios, à vinculis culpæ & pœnæ in divino tribunali olim absolvet, quod non de Apollinis Cortina profero nec de Sybillæ foliis cano, verùm ex infallibili Spiritûs Sancti pro-

missione cum Regio Psalte meliùs divinando
Psal. 40. vaticinor: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Promissionem eandem confirmat æterna Chri-
Matth. 5. sti Redemptoris nostri asserentis veritas, *Beati misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequentur.* De hoc beatæ prædestinationis signo minùs ac de ipsa veritate dubitare nemo potest,
Psal. 84. etenim ut inquit Propheta, *Misericordia & veritas obviaverunt sibi.* Sentio denique cum Magno Ecclesiæ Doctore S. Hieronymo asseveranter
In Epistola ad Nepotianum. dicente: *non memini me legisse malâ morte mortuum; qui libenter opera Charitatis exercuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* De quibus omnium sacrarum imo & profanarum historiarum libri pleni sunt atque referti; sic scilicet aliorum procurata salus nostram operatur salutem, sic aliorum à vinculis infidelium redemptio, animarum nostrarum à vinculis culpæ & pœnæ est redemptio.

Nemo inficias ibit, & peccatum gravem animæ captivitatem esse, & eò graviorem deterioremque, quò anima corpore est præstantior, quò cœlestia terrenis sunt sublimiora: etenim qui peccati captivitatem incidit, catenis duabus, unâ culpæ, alterâ pœnæ, stringitur; à quibus ut redimamur Daniel Propheta redemptionis nostræ & libertatis admodum sollicitus
Daniel 4. consulit: *Peccata tua eleemosynis redime.* A duplici vinculo eleemosynis, sive duplici eleemo-

eleemosynâ, redimi necesse est animam: Ingenuè ad rem præsentem asserere possum; qui tribuit eleemosynam monasteriis Ordinis SSS. Trinitatis (quia nimirum duplex est eleemosyna, una immediata, monasteriis scilicet, altera mediata; quæ nimirum mediante dictâ tripartitione Captivis venit in redemptionem) duplicem retributionem & mercedem à Deo sperare potest; & ob duplex meritum talis eleemosynæ peccator à vinculis pœnæ & vinculis culpæ, ut Daniel Propheta testatur, redimitur: à Vinculis pœnæ redimitur, quia eleemosyna opus est pœnale, & satisfactiorum; redimitur etiam à vinculis culpæ, vel formaliter, si eleemosyna ritè procedat cum actu Charitatis conjuncta vel ad minus dispositivè; quia inter omnia hominum bona opera, illa vel maximè divinam misericordiam ad impertiendam peccatorum remissionem disponit. Sic docet SS. Theologia, & omnes post Danielem prædicant Patres, inter quos præcipuè Divus Chrysostomus prædicta confirmans, & aureo suæ eloquentiæ annulo universa concludens subscribit: *Eleemosyna*, inquit, *Deo consistit, & semper ei propinqua est; pro quibuscunque voluerit, facilè munus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit.* Quid clarius, firmiusque ad prædicta? & eâdem aureâ facundiâ prosequitur sanctus Pater: *Fugat tenebras, extinguit ignem: huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, & veluti Reginâ intrante nullus Janitorum, nullus Custo-*

Viera part. 2. serm. 7. §. 3. pag. mihi 157.

S. Chrysostomus supra Math. serm. 4.

Custodum, qui assistunt, audent dicere, quæ tu es, vel unde? Sed omnes eam è regione suscipiunt. Virgo est habens alas aureas circumscripta per omnia venustate, sed succincta vultum habens candidum atque mansuetum, peramata est & levis, & semper ante solium regale consistit. Hactenus ille, & sufficiat; coronidem impono: & ut post cadavericum hujus mortis Carcerem sine fine in immarcescibili gloria, in cœlesti atque interminabili Libertate, cum omnibus Sanctis Redemptionis Fructu patiamur, & misericordiâ triumphemus; faxit Triunus Deus, qui omnium Operum nostrorum est Ἄλφα, & ὦμεγα, Principium; &

FINIS.

Ita precatur, & orat,

In Ordine Sanctissimæ Trinitatis, devinctissima *Redemptio Captivorum.*

K A.

KALENDARIUM
ECCLESIASTICO-HISTORICUM,
UNIVERSI ORDINIS
SSS. TRINITATIS
REDEMPTIONIS CAPTIVORUM:
ID EST

Sanctorum, Beatorum, Festivitatum, & Patronorum, nec non & Virorum Venerabilium, Illustrium, Equitum, & Sancti-Monialium, Equestris ac Regularis Trinitarii Ordinis;

Quâ Calceatorum, Observantium, Mitigatorum, pariterque Discalceatorum, Reformatorum, & Primitivam Regulam Profitentium utriusque Sexûs,

MENELOGIUM PARVUM.

Ex veteri ejusdem Ordinis Breviario, ac recenti Proprio Festivitatum, & Sanctorum à Summis Pontificibus, & Sacra Rituum Congregatione concesso, recognito, & approbato; similiter ex probatissimis, & classicis Authoribus

STUDIO, ET INDUSTRIA

Fr. JOANNIS à S. FELICE, HAGIOPHILI TRINITARII,

Concinnatum, ac noviter de Mandato Superiorum in lucem editum.

CANDIDE LECTOR.

IN brevi paucis præfari consului; multa, quæ ob brevitatem omitto prænotanda, discretus suppone: Mantissæ loco me cunctando rapientibus immaturum fructum cedere cogor, meâ pace tu hunc æstima, ut velis, ego eundem incompletum, & , ut dixi, immaturum mihi repeto, quem si Superis, & Superioribus placet, dabo in tempore suo maturum, & meâ tuâque satisfactione in sinum tibi libenter nullo agitante vento labi sinam, quem vix floribus egressum adhuc in amara brevitatis obscuritate eripis; habe igitur quod optâras; quod in eo degenerat, charitativè corrige; quod displicet, fraternè admone; quod deficit, amicè præbe: cæteris enim omnibus mihi magis chara Veritas, quam licèt carissimè emam, solius hujus avidus inquisitor, & perpetuus cultor. Longam Historiam brevi coarcto periodo, paucis delineo verbis non pauca Folia, non pauca Volumina his paucis præbeo Foliis. Authores, quos secutus sum, sunt communes classici, & omnino probatissimi, quorum propriis etiam Verbis, & Sententiis, præcipuè quos Latinos habui, admodùm inhæreo, & fideliter utor: hos suo tempore in margine citatos efferam, nunc brevitatis studiosus mihi à te eandem fidem promitto, quâ sinceritate res profero; hos igitur conatus, qualescunque etiam sint, æqui, bonique consule, & meliora adjuvante Deo expecta, interim omnium Sanctorum Patrocinio enixè commendatus, vale.

B E-

BENEDICTA
SIT
SSS. TRINITAS.

JANUARIUS.

1. CIrcumcisio Domini Nostri Jesu Christi. In Monasterio de Socuellamos obitus V. P. Joannis à S. Joseph, qui omni Virtutum genere coruscus Prophetiæ dono illustris in Vita, & post mortem Miraculis claruit, pro cujus solemni Beatificatione tempore Urbani VIII. Sum. Pontif. factæ sunt Juridicæ informationes. Eodem die obiit V. F. Stephanus à Resurrectione, qui Pœnitentià, & Mortificatione jugiter cum Christo Redemptore nostro Crucifixus, ad magnum Sanctitatis Gradum pervenit, in cujus felicissimo transitu per totum Conventum fragrantissimus sentiebatur odor.

2. Genuæ in Italia peregrè obiit V. P. Simon à S. Joanne irreprehensibilis vitæ, Virgo usque ad mortem, de quo juramento testatum est, nunquam in vita gravem culpam admisisse.

6. Epiphania Domini. Eodem die Cordubæ in Hispania V. P. Petrus ab Incarnatione ex hac vita felicissimè transiit, Vir profundissimæ Humilitatis, multis à Deo favoribus dignatus, atque à Dæmonibus terroribus, & verberibus exercitatus, nunquam arduam Virtutis semitam deflexit.

10. Obiit V. P. Petrus à Sanctis, cujus insignem Fidem atque Obedientiam mirabilia testabantur, qui in transitu suo ab universo populo instar Sancti veneratus fuit.

14. Festum Sanctissimi atque Dulcissimi Nominis Jesu in universo Sanctissimæ Trinitatis Ordine solemne.

19. In Monasterio Cervi frigidi depositio P. Petri de Cusiaco Ordinis SSS. Trinitatis Majoris ac Generalis Ministri.

21. S. Agnetis Virginis & Martyris totius Sacri Nostri Ordinis Patronæ.

25. Vallisoleti ad Superos transiit V. P. Christophorus à Sanctis, qui adhuc infans feriâ 6. à lacte matris abstinuit, jejunium totâ vitâ coluit, multas victorias à Dæmone reportavit, plurimos peccatores ad meliorem vitam verbo ac exemplo reduxit Vir Apostolicus; in avertendis tempestatibus & serenando aëre potens oratione.

28. S. Agnetis Virginis & Martyris Secundo, S. N. Ordinis Patronæ, eodem die primò Parisiis deinde Romæ S. Nostri Ordinis revelatio, & apparitio Angeli candidâ veste, bicolore cruce, specie redimentis Captivos. Quo viso Pontifex Innocentius III. Præsente totâ Ecclesiâ in Laterano Institutum SS. PP. NN. Joannis & Felicis approbavit hoc vocis Oraculo: *Hic est Ordo approbatus, non à Sanctis fabricatus, sed à solo Summo Deo.* Novumque Ordinem Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum vocari curavit, & S. Agnetem Virginem & Martyrem Universi Ordinis Patronam constituit.

31. S. Petrus Nolascus Eques Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, posteà Fundator Ordinis B. *Mariæ* Virginis de Mercede itidem Redemptionis Captivorum.

Romæ in Monasterio S. Thomæ deformis B. Amaturus, priùs Italiæ Dinasta & Romanus Senator, post Religiosus Laicus; cui S. P. N. Joannis de Matta religiosum habitum concessit, per multos annos maximâ ædificatione & exemplo Monasterii Janitor fuit, vitâ functus & defunctus est magnâ Sanctitatis opinione, quoniam toto triduo mortem ejus proximè antecedente campanæ Conventûs seipsis sonuerunt, nullo impellente, maximâ civium admiratione, qui certatim currebant ad tanti prodigii aspectum.

In Monasterio Scalabitano Sanctitate clari floruêre Petrus de pedibus, & ejus Conjunx Maria Suarii Ordinis Donati.

Memoria Gloriosorum Martyrum Galerani de Perillas & Petri Dalmao, qui Algerium profecti ad Redemptionem Captivorum,

vorum, dum inde divites illâ prædâ redirent, unà cum ipsis Captivis à Mauris in mare præcipitati sunt.

Item Memoria 40. Martyrum, qui in nostro Collegio Hierosolymitano à Saracenis in odium Fidei trucidati sunt.

FEBRUARIUS.

1. Villanovæ in Hispania F. Joannes à Jesu, qui dives & nobilis ex aula à puero Jesu ad Religionem Trinitariam vocatus, ubi per octo menses Angelicè vivens in Cœlo professurus, hâc die ad Superos transiit.

2. Purificatio B. Virginis Mariæ cum octava, celebre sacri nostri Ordinis festum, in quo à Ss. Pontif. Innocentio III. Sancti Fundatores nostri Joannes & Felix candidis & bicolore cruce signatis vestibus induti, ad eam formam, quâ Angelus indutus apparuit.

4. Octava S. Agnetis Virginis & Martyris secundo, Universi nostri Ordinis Patronæ.

6. V. P. Georgius à Sanctis omni occasione sui humiliationem quæsivit, omni tempore, quo licuit, genuflexus operabatur, tandem hâc die brachiis in formam crucis conjunctis oculis in Christum crucifixum intentis, genuflexus expiravit, cujus animam V. P. Juniperus Vir sanctitate illustris in societate Angelorum in Cœlum ferri vidit, & manifestavit.

7. In Scotia in monasterio de Plebis obiit Jacobus Granus, qui eidem monasterio præfuit per octodecim annos Doctor Theologus Oxoniensis, & Joannis Duns Scoti Ordinis Minorum S. Francisci fulgentissimi sideris Ecclesiæ Dei & Theologorum discipulus; unde & fuit acerrimus propugnator Scoticæ Doctrinæ.

8. S. P. N. Joannis de Matta Gloriosissimi Sacri nostri Ordinis Patriarchæ miraculis clarissimi, cujus solemnis festivitas per Decretum Innocentii IX. in hanc diem translata est.

9. Octava Purificationis B. Virginis Mariæ.

10. S. Guilielmus Dux Aquitaniæ, Eques Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

13. Compluti F. Baltasar à Regibus genere nobilis in aula edu-

 catus,

catus, à vanitatibus immaculatus, ante decimum quintum ætatis annum Trinitariæ militiæ adscribi voluit, ubi gravissimas dæmonis & mundi tentationes adamantinâ superavit fortitudine, obiit variolis adhuc in flore ætatis. Eodem die Madriti V. P. Simon à Conceptione Vigiliis & Orationibus indefessus, plurimos promeruit Dei favores, atque dæmonis astus elusit, pariter multos diversi statûs & conditionis homines ad contemnendas mundi vanitates & virtutis semitam reduxit.

14. Venerabilis Servus Dei N. P. Joannes Baptista à Conceptione Sacri Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Restaurator & ejusdem ad primitivam observantiam Reformator, Vir Apostolicus omni virtutum genere illustrissimus, quem S. Theresia Sanctum fore & Patronum multarum animarum & prævidit & prædixit; in vita & post mortem innumeris claret miraculis, de cujus solemni Canonizatione apud Sedem Apostolicam agitur.

15. Octava S. P. N. Joannis de Matta Patriarchæ & Fundatoris Sanctissimi. Eodem die obiit V. P. Josephus à Sanctissima Trinitate, Regio Aragonum sanguine ortus, ad virtutem natus, humanas & divinas complexus literas Sacerdos ordinatus est, ad Aulam Madritensem, ut virtutes ejus & merita coronarentur, invitatus, ubi aliter à Deo vocatus, ad novam *nimirum* Congregationem, quæ in Ordine SSS. Trinitatis magno rigore & fervore in reformationis negotio occupabatur, cui dum nihil minus rerum istarum ad mentem veniret, de animæ suæ salute studiosus, Consiliis & *Doctrinâ* P. Dominici à Jesu Carmelitæ (cujus Sanctitas per universam Hispaniam, Italiam & Germaniam notissima est) usus, cœlestem planè vocationem didicit, quam & secutus innumeris victis ex omni parte difficultatibus, habitum à V. N. P. Joanne Baptista à Conceptione Vallerupi impetravit, ubi pœnitentis vivum exemplar omnem primitivum rigorem imitatus exhibuit, vel imitandum proposuit. Fidem ejus in Deum multa testata sunt miracula, ad cujus sepulchrum nunc Deus innumeros dispensat favores & beneficia.

21. Dublini in Hybernia Guilielmus Goldius SS. Theologiæ Doctor

ctor Oxonienſis, Primus Miniſter noſtri Conventus S. Crucis Lymericenſis Archi-Epiſcopus Dublinenſis, & S. R. E. Eccleſiæ Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis, hac die ad æternam migravit requiem. Eodem die obiit V. P. Clemens à S. Maria, erga Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum fervoroſâ dulcedine affectus, diebus noctibusque ante velatam Deitatem genuflexus duravit; ipſe rigidiſſimus Paupertatis cuſtos, pauperibus largiſſimè providebat, à quibus in æterna tabernacula receptus eſt. Valentiæ eodem die obitus P. Gabrielis Mançano, erat Philoſophiæ & Theologiæ Magiſter Doctor & & Profeſſor, Aragoniæ Provincialis, Ordini ſuit ſtudioſiſſimus.

22. In Anglia S. Robertus à Kanersburg inſignis Eremita, divinitus Monachorum Sanctiſſimæ Trinitatis in Angliam adventu cognito in Monaſterio Cornuvalliæ juxta Kendal eorundem inſtitutum profeſſus, in vita & poſt mortem miraculis clarus. Clemens Papa IV. conceſſit indultum Religioſis noſtris per Angliam hâc die recitandi de eo Miſſam & Officium.

26. Valliſoleti tranſitus V. P. Joannis à S. Maria Majori, qui ità Divino abſorptus erat Amore, ut vehementiam æſtûs in exteriora redundantis frigidâ reſtingui neceſſe habuerit, neque minore erga proximum ferebatur charitate: Beatiſſimæ Virgini devotiſſimus, cujus viſione aliarumque Cœlitum meruit recreari.

B. Rudolphus Romanus, Bononiæ Juris Pontificii & Cæſarei egregius Doctor, habitum Ordinis & primitias ſpiritus ab ipſo S. P. N. Joanne de Matta Fundatore obtinuit, in œcumenica Generali Synodo Lateranenſi ab Innocentio III. conſecratur Patriarcha Alexandrinus, Babiloniæ in Ægypto Univerſi Trinitarii Ordinis Proto-Martyr effectus.

B. Theobaldus Burkus Miniſter Provincialis Hyberniæ, Vir genere Nobilis, Doctor Theologiæ, præſtans ſcientiâ, & alii ejuſdem Ordinis Doctores octo divinarum humanarumque diſciplinarum ſtudiis maximè inſignes, Dublinum Regiam Hyberniæ petunt, ibi poſitis in foro publicisque plateis concluſionibus, quibus Summi Pontificis Authoritas, & Imperium in Reges aſſerebatur, novæ Anglorum hæreſes refellebantur,

bantur, Angliæ Doctoribus disputationem indicunt, interim populum crebris exhortationibus in Christi Fide confirmantes dies disputationi constituta cùm cessit, Anglica figmenta facili confutant negotio, quamobrem Angli more suo in ferinam Religiosorum laniationem cogitationes vertunt; novem Doctores Proregis Angli jussu in carcerem detruduntur, quatuor securi percussi, cæteri in furcam sublati sunt. Theobaldus Minister manibus aque pedibus vincitur, mox illi tortor latus ancipiti ferro aperit, per ingens vulneris os immissâ manu Cor Martyris (novum & inauditum crudelitatis inventum) magno fragore avulsum toto corpore extraxit, sicque Martyr exspiravit.

Eadem tempestate quinquaginta Religiosi ejusdem Dublinensis Cœnobii vario mortis genere extincti, deletique sunt.

Similiter Religiosi Cœnobii Karcagie & Killociæ circiter 90. innocentiâ omnes, literis plerique, maximè quinque Doctores Guillermus Hurzeus, Joannes Ohagam, Michaël, Richardus, Gilebridighus sive Prigidanus insignes ab hæreticis Angliæ trucidati, & in partes & frustra secti sunt, mortuos miraculis claruisse scribunt.

MARTIUS.

3. MAdriti hâc die in cœlum obiit V. P. Hermenegildus à S. Joanne, in igne tribulationis ut aurum probatus, viam crucis ingressus; in virum sanctum atque perfectum evasit. Viennæ in Austria eodem die suos in hac vita reliquit P. Joannes à S. Augustino Vir venerabilis, Charitate erga proximum & maximè erga Captivos insignis, monasticæ disciplinæ observator zelantissimus, juxtaque rigidissimus; Conventûs Viennensis Primus Pater, ubi obiit Minister, magno sui relicto desiderio, non absque sanctitatis opinione, etiam inter exteros.

5. Hâc die de laboribus ad requiem æternam transivit V. F. Franciscus à Virgine, qui dum sæcularis mundi vanitates secutus, gravi morbo ad meliorem frugem à Deo vocatus in Ordine SSS. Trinitatis statum Laïcalem professus vitam contem-

templativam activæ conjunxit, diem laboribus, noctem orationibus impendens, obedientiâ, charitate, & humilitate enituit.

8. S. Thomas Aquinas Eccleſiæ Doctor Angelicus, clariſſimum Ordinis S. Dominici ornamentum, omnium poſt ſe Doctorum fulgentiſſimum ſidus, & Anteſignanus, quem S. P. N. Joannes de Matta S. Dominico, dum uterque contra hæreticos Albigenſes fuerant Inquiſitores, ſpiritu prophetico prædixit. Hujus Angelicam Doctrinam in noſtris Collegiis doceri à Profeſſoribus in Conſtitutionibus Ordinis commendatur.

12. V. P. Cyprianus à Matre Dei, in omni virtutum ſtudio & actione præclarus, in ſui abjectione, & Dei contemplatione eximius, maximeque in candore & puritate animi, quem certiſſimè creditur (ut ſonat ejus Epitaphium) nunquam lethali culpâ fœdâſſe, qui dum ſummè ſcrupulis angebatur V. P. N. Joannes Baptiſta à Conceptione Reformator eidem apparuit, & ſuâ luce eum conſolatus eſt, duobus ante mortem menſibus cœlo Angelum familiarem habuit, quem de multis interrogavit Angelo reſpondente, ab eodem hâc die ad Choros Angelorum abductus relicto nobis ſuæ Sanctitatis odore.

18. S. Gabriëlis Archangeli per univerſum SSS. Trinitatis Ordinem Redempt. Captiv. ſolemne Feſtum.

19. S. Joſephi caſtiſſimi Sponſi Genitricis Dei & Nutritii Chriſti Feſtum in eodem Ordine ſolemne.

21. Richardus Wyrom Scotus, Doctor Theologus Oxionienſis, Miniſter Provincialis per Scotiam à Bonifacio VIII. Epiſcopus Sidonienſis in Phænicia inauguratus eſt, hâc die obiit, terræ traditus in clauſtro Regalis Conventûs ſanctiſſimæ Trinitatis Aberdonenſis. Eodem die in Hiſpalenſi Cœnobio obiit Bernardus de Veſtida, Vir ingenii acumine inſignis, literis ac Religione digniſſimus.

23. Robertus Lyncæus ab Honorio IV. Epiſcopus Fernenſis creatus obiit, & in ſua Eccleſia ſepultus eſt.

25. Annunciatio B. Virginis Mariæ N. S. Ordinis Feſtum, quod ut ſolemniùs celebraretur jam olim egit Berengarius ex Ordine Trinitario Epiſcopus Barcinonenſis aſſumptus, in-

stante & procurante S. Raymundo de Pennafort ejus Canonico, qui postmodum in Ordine S. Dominici Vir sanctissimus.

Eodem mense Martio incertâ die obiit S. Guilielmus Rex Scotiæ octo Cœnobiorum nostri Ordinis Fundator, & tandem in Monasterio Aberdonensi ab ipso pro Nobilibus constructo Trinitarium induit, ubi obiit miraculis clarus.

Memoria BB. Berengarii ab Angularia, & ejus Conthoralis Anglesex, qui clarissimo sanguine Orti in Monasterio de Angularia Donati & familiares Ordinis maximâ sanctitatis opinione vixerunt, ibidem sepulti jacent; ad eorum corpora ardebat Lampas, ut solet ad Sanctorum Corpora.

Item 42. Religiosorum Martyrum, qui in odium Fidei à Mauris Ubèdæ in Hispania trucidati sunt, & aliorum 52. de Monasterio Damiatæ Fundatione S. Ludovici Regis, qui omnes à Saracenis pro tuenda Catholica Fide occisi sunt, non æque profuturi illis (ut quidam scribit) si pepercissent, at enim eorum feritas Ecclesiæ, & imprimis Ordini sanctissimæ Trinitatis fœderata est, quia illis cædibus triumphanti Ecclesiæ Cives, militanti advocatos transmisit.

A P R I L I S.

3. B. Constantia Petri II. Regis Aragonum Filia, Jacobi I. Regis Soror hac die cum duodecim ex prima nobilitate Dominabus in Monasterio de Avingania Sancti-Monialibus Ordinis SSS. Trinitatis dedit exordium.

4. In Monasterio de Canaos Diœcesis Elnensis Venerabilis Abbatissa Domina Maria Filia illustris Regis Jacobi I. hâc die ad cœlestem migravit Sponsum.

3. S. Hugo Consobrinus Pipini Regis Francorum Archi-Episcopus Rothomagensis, cujus Corpus magnâ Reverentiâ fulget in Ecclesia S. Vedasti Diœcesis Cameracensis, ubi Illustrissima Eleonora celebrem illam de S. Felice Patre nostro, quem tunc utero ferebat, visionem habuit, cujus ænigma S. Hugo vaticinio aperuit. Eodem die nascitur S. Felix, qui ob venerationem S. Hugonis in Baptismate Hugo dictus, quod postmodum in Felicis commutavit.

10. Val-

10. Vallisoleti V. P. Michaël à Sanctis, propter frequentes & continuas ecstases ecstaticus nuncupatus est, Vir ab infantia Sanctissimus & planè Cœlestis, omnibus virtutibus & perfectionibus in summo gradu ornatus, pœnitentiâ & mortificatione admirandus non imitandus, in Amore Divino excessivus, gratiâ consolandi afflictos mirificus, dono consilii & Prophetiæ clarus, Verbi Divini cum ingenti animarum fructu Concionator Apostolicus, duorum pariter meruit esse mortuorum Suscitator, cæterùm in vita & post mortem innumeris claret miraculis. Duobus post ejus obitum annis Urbanus VIII. pro ejus Canonizatione informationes fieri jussit, tertio anno Ecclesia, Civitas, & Universitas Beaçensis propter maxima beneficia quæ à Viro Sancto accepit, apud Summum Pontificem & Cardinales pro ejus Canonizatione instantissimè supplicârunt, duodecimo anno Corpus ejus effossum, incorruptum & integrum inventum est.

22. Hispali diem obiit M. F. Didacus de Avila, Vir admodùm Religiosus & Doctus, atque à Scriptoribus celebratus.

26. Toleti ad Cœlum vocatus V. P. Raphaël à Jesu, observantiæ speculum, & virtutum omnium perfectum exemplar, integrâ horâ antequam expiravit candida columba in ejus celliæ fenestra visa est, cujus animam Vir quidam pius in Oratorio suo precibus intentus in Cœlum ferri vidit.

28. B. Guilielmus Duacensis, sumpto cognomine ab Urbe Duaco, in qua nobilissimis Parentibus ortus est, vix pubertatis annos attigit, cùm se virtutum exercitio addixit, quare ad earum faciliorem usum subivit adhuc Adolescens Institutum Ordinis SSS. Trinitatis: Tum verò ille carnem suam perrexit acriùs, domare cilicinis sagis, & laneâ tunicâ indutus: Idem quasi columba in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, putà Redemptoris plagis se exercebat meditando. Doctor Parisiensis S. Thomæ Aquinati fuit familiaris; plura scripsit, præcipuè contra Guilielmum à Sancto Amore, cui titulus: *Propugnaculum Mendicantium pro Ordinibus S. Dominici & Francisci.* Parisiis hâc die in Cœlum ad laborum mercedem vocatus est.

Londini in Anglia tempore Henrici VIII. Robertus Hildesto-

nius SS. Theologiæ Doctor Oxoniensis, Minister Monasterii Londinensis, & Rudolpus Wildestonius cum omnibus Religiosis ad numerum 120. pro vera Fide gladio interempti sunt.

Eâdem persecutione Religiosi Monasterii S. Crucis Limericensis Martyrio coronati sunt, dum hæretici summo manè Religiosos Divinas Laudes ad Primam canentes circumdant, improvisè invadentes alios in Choro jugulant, alios lapidibus vinctos in aluens flumen dimittunt, ità Martyres ampliùs quinquaginta mortalem vitam cum immortali commutârunt.

Item 40. Religiosi Martyres Monasterii Pontanensis incolæ, alii ense hæreticorum trajecti, alii in puteum conjecti, alii laqueo suspensi, Creatori suo spiritum reddiderunt.

Similiter Conventûs Galvensis 20. Religiosi pro tuenda Catholica Fide ab hæreticis consumpti sunt, de quorum nece duplex est fama, sunt qui tradant ab Anglis quatuor Monasterii angulis igne injecto Religiosos incendio fuisse consumptos, non desunt qui dicant in calcariam fornacem conjectos, cæteri lapidibus è collo pendentibus in mare præcipitatos, periisse.

Item Ludovicus de Marchia Minister Domûs Norvicensis, totâ spectante Civitate, intra septa Monasterii igne vindice in cineres & favillam, simul cum omnibus suis Religiosis redactus est. *Hoc mirum est*, inquit Raynerus Annal. Eccl. Angl. *fol.* 598. *quòd in aliis familiis Apostatæ nonnulli non defuêre in hujus Monasteriis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis per Angliam, Scotiam, & Hyberniam existentibus, & forsan, quòd à Sanctissima Trinitate cœlitùs Monachi illius accipiant, omnes nullo excepto igne combusti vel consumpti sunt. Imò ipsum ignem fortiter & alacriter amplexi sunt, & dum igni subsunt, ipsius mira splendescunt, &c.*

MAJUS.

1. IN persecutione Anglicana Rudolphus SS. Theologiæ Doctor, & Conventûs S. Nicolai de Plebes Minister, & cum eo ejusdem Conventûs Religiosi Nicolaus, Thomas, Bernardus, Vendelinus, Simon, Othonius Doctor Theologiæ, Vernerius Doctor Theologiæ, Cornelius, Joannes, & Paulus omnes

omnes in odium Fidei hâc die laqueo vitam pro Christi Nomine finierunt.

2. In eadem persecutione Anglicana Nicolaus, Rudolphus SS. Theologiæ Doctor, Gilbertus & Wilhelmus, & cum ipsis alii 20. Religiosi Conventûs de Chrenach pro vera Fide tuenda capite truncantur.

3. Inventio S. Crucis, sacri nostri Ordinis Festum. Eodem die Algerii in Africa Martyrii Lauream adepti sunt Beati Robertus, Victorianus, & Cornelius natione Angli, quorum guttura in odium Fidei à Mauris gladio transfixa fuêre. In Scotia Robertus Conventûs de Catenes Minister, & Simon Laicus, & alii quadraginta Religiosi ab Anglis hæreticis circumdati, omnes laqueo suspensi vitam potiùs quàm Fidem deserere resolverunt.

4. Eâdem Anglicanâ persecutione Religiosi Monasterii Faylensis, videlicet Hildebertus SS. Doctor Theologiæ, Sixtus, Alardus, Gaudentius, Theodorus, Joannes, Tyburtius, Philippus, Urbanus, Remigius, Franciscus, Georgius, Hieronymus, Blasius, Ignatius, & Antonius, hi omnes manibus pedibusvè ligati funibus, in ignem conjecti, Martyres ad æternam patriam discesserunt, glorioso certamine pro Christo expleto.

5. In Monasterio Cervi frigidi Nicolaus VI. Major ac Generalis Ordinis Minister hâc die plenus meritis obiit, vir nullâ Prædecessorum suorum Gloriâ fraudatus, scientiâ, vitâ & bonis operibus nullo inferior, S. Ludovico Regi Francorum familiaris & individuus comes, Proceribus regni acceptissimus erat, quem libenter audiebant, & eo audito bona multa faciebant. Eodem die in Scotia Patres Conventûs Berchinensis Petrus Minister, Isidorus, Bonifacius, Fabianus, Dionysius, Michaël, Silverius, & alius Joannes, & alius Thomas Gueno, Hilarius, & alius Nicolaus & Vincentius, omnes pro tuenda Fide Catholica inter ultrices ignis flammas consumpti sunt, & sic Deo victoriosas animas reddiderunt.

6. Eadem Persecutio Martyres fecit Religiosos Monasterii Deidonensis, quorum nomina, quæ sciuntur, sunt: Martinus Minister, Victor, Ludovicus, Marcus, Damianus, Bene-

dictus, Cyrillus, Antonius, Poncellus, Soter, Petrus, Cornelius, Alexius, Lucas, Placidus, Victor, & alius Martinus, Marcellus & Paulinus, hi omnes in odium orthodoxæ Fidei ad equorum caudas ligati per vicos & plateas civitatis fortiter raptati, tandem laqueo suspensi sunt.

Eodem die Martyrii Lauream adeptus est Gueraldus Hybertus divini cultûs propagandi studio flagrans ex Hibernia profectus, Hierosolymæ annos aliquot piè vivens, Ordini etiam SSS. Trinitatis Monasterium condidit, ubi illi fuit magna familiaritas cum Murocho populari suo, qui simili causâ Christianæ pietatis amplificandæ patriam fugiens, Hierosolymis sanctitate Doctrinâque præstans, & corpus flagellis, inædiaque coercebat, & Fidem magno conatu pandebat, cui muneri Gueraldus minimè defuit donec in Judæa propter Fidem spiritum intrepidè fuderit capite obtruncato.

7. In Monasterio Aberdonensi Eduardus Hervisius Scotus SS. Theologiæ Doctor Oxoniensis in divinis litteris versatissimus, Ordinis per Angliam, Scotiam, & Hiberniam Commissarius Generalis ab Urbano IV. Archi-Episcopus Nazarethanus in Galilea salutatus, demum ut quidam asserunt à Gregorio X. ob egregiam Viri vitam simul cum doctrina conjunctam in Purpuratorum Collegium annumeratus est Diaconus Cardinalis S. Eustachii, hâc die plenus meritis decessit, *sepultus* est Aberdoniæ Regio Monasterio. In Monasterio Dumbarensi Anglorum continuatur sacrilega persecutio, ubi Albertus Minister, Edmundus, Cassianus, Bernardus, Clemens, Carolus, Eusebius, Ignatius, Philippus, *Hilarius*, Redmundus, & Ludovicus pro Catholica Fide tuenda capite truncati Beati Martyres, & tandem carnes eorum in cacabum ardentem conjectæ sunt. Solanæ in Hispania eodem die ad Superos migravit V. P. Philippus à S. Jacobo, cujus nativitas & futura Sanctitas mirabiliter vaticinata fuit, tredecim annorum in vitæ innocentia Ordinem SSS. Trinitatis ingressus, summæ puritatis & integritatis Vir per omnia probatus fuit, in corpore infirmitates, in anima scrupulos & desolationes invictâ patientiâ, & resignatione toleravit, in scientia Sanctorum versatissimus, dono Consilii, & discretionis salutem ani-

animarum inſigniter procuravit, imperium in dæmones tenens plures energumenos liberavit; obiit magna cum ſanctitatis opinione, cujus corpus triennio poſt mortem repertum eſt integrum, incorruptum, & tractabile.

8. In Monaſterio Cuprenſi Anglorum furore in odium Fidei conſumpti ſunt Patres Pontianus Miniſter, Marcus, Joſephus, Dionyſius, Jacobus, Laurentius, Zephyrinus, Richardus, Apollinaris, Petrus, Geneſius, Matthias, Eugenius, Albertus, Victorianus, Rudolphus, Blaſius, Ægidius, Sebaſtianus, Petrus, Remigius, Vitalis, Paulus, Cyprianus, Nicolaus & Mauritius, omnes pro Chriſti Nomine animas poſuêre, aliqui capite truncati, aliqui flammis conſumpti, alii gladio percuſſi & in flumen ſubmerſi, Martyrium compleverunt.

11. In Hibernia in Monaſterio Atharienſi Robertus Peveral hàc die vitâ functus fuit, qui dum vixit inſigne erat Ordinis ornamentum, Doctor Pariſienſis, in Oxonienſi Univerſitate ingenium ſuum docendo explicavit, plurimùm ſcriptis commentariis Divina Myſteria illuſtravit. Eodem die Compluti obiit V. P. Michaël à S. Maria perfectæ obſervantiæ ſingularis cultor, qui mori potiùs, quàm in illa deficere elegiſſet, quam & Deus ſuis favoribus prœmiavit, honoris Divini zeloſus, in objectione ſui ſublimis, perſeverantiâ uſque ad mortem virtutes omnes coronavit. Hoc eodem die P. Andreas à Reſurrectione, quia acceptus erat Deo, multis tentationibus in vita probatus, de igne tribulationis, ut probatum aurum exivit, cæcitatem à Deo ut beneficium miſſum æſtimavit, quòd ita meliùs contemplare poſſet Divinam Majeſtatem. Magnâ Sanctitatis opinione deceſſit Torrejone de Velaſco. In Luſitania V. P. Rochus à Spiritu Sancto inſignis Captivorum Redemptor, & dono prophetiæ clarus, meritis plenus obiit.

12. Vallirupi in Hiſpania V. F. Franciſcus à S. Anna, in ſui humiliatione admirabilis, pœnitentiâ inſignis, qui continuò velut alter Hieronymus pectus ſaxo tundebat, cujus ſigna in ejus exuviis adhuc apparent, multis multa prædixit, miraculis etiam clarus, corpus ejus poſt viginti ſui obitûs annos reve-

revelatum, integrum inventum est, & liberum undequaque absque eo quod reclinaretur, ut vivum stetit; veneratur pro Sancto, quia multa ejus sentiuntur beneficia, præcipuè Cruces & Rosaria ad pectus attacta mirificè Locustarum irruptiones & damna impediunt.

13. B. Guilielmus Scotus Doctor Parisiensis, unus de primis S. P. N. Joannis de Matta Sociis, tertius Ordinis Generalis Minister, in procurando Ordinis incremento fuit vigilantissimus, indefatigabilis Captivorum Redemptor, adfuit cum S. Francisco Assisio in expugnatione Damiatæ, meritis plenus obiit in Monasterio Cervi frigidi. Eodem die B. Augustinus Galganus Archi-Episcopus Messanensis, & Confessarius Constantiæ Augustæ Friderici II. Romanorum Regis, in Redemptionis Captivorum expeditione febri obiit, & Cœlo donatur, sacras exuvias Deus multis illustravit miraculis, & Fratres de eo olim Canonicum Officium recitare consueverunt.

18. In Monasterio Aconensi in Siria triginta quatuor Religiosi Trinitarii à Saracenis capti, manibus naribusque abscissis in odium Fidei Orthodoxæ in ignem conjecti, Martyrii coronam promeruerunt, nomina eorum in libro vitæ adscripta sunt. Eodem die in Monasterio Cervi frigidi Rogerius Desses Doctor Parisiensis, unus de primis S. P. N. Joannis *Mattensis* Socius, quartus Ordinis Generalis Minister, *Regularis* observantiæ Studiosissimus, magnâ vigilantiâ Ordinem gubernavit, hâc die translatus est ad Patres.

20. Vallirupi in Hispania V. P. Petrus à Spiritu *Sancto*, oratione assiduus, discretione spirituum excelluit, charitate erga proximum insignis, maximis in doloribus resignatus emisit spiritum; cujus corpus utpote natura obesum, & ad corruptionem magis dispositum, post septem annos repertum est incorruptum.

22. Parisiis in Monasterio S. Maturini B. Robertus Gaguinus S. N. Ordinis Major ac Generalis Minister, Doctor Sorbonicus, Immaculatam Virginis Conceptionem suo tempore in Universitate Parisiensi Controversiam voce & calamo strenuè defendit & propugnavit, sæpè suâ eloquentiâ Italos attonitos

tonitos reddidit, à Carolo VIII. ad Maximilianum Imperatorem Romanorum, & Principes Germaniæ, imò ad alios Reges pluries Legatus missus; magnâ dexteritate magna Reipublicæ negocia tractavit; scripsit, typisque mandavit plurima; à sui ævi Scriptoribus ut Vir Sanctus & doctus admodùm celebratus fuit; in redimendis Captivis diligens tres fecit redemptiones, dum Cordubensem Domum visitaret, oppressus lethali morbo, sibi apparente B. Virgine sanitati restitutus est, viginti octo annis majori Ordinis administratione laudabiliter præfuit; 50. annis post obitum Corpus ejus inventum est incorruptum, quod Sanctitatis ejus opinionem magis confirmavit.

29. Constantinopoli in Monasterio S. Agnetis B. Laura à S. Petro, Ministra Parthenopæi Virginum Sancti-Monialium, cum quinquaginta tribus suis Sancti-Monialibus à Turcis in odium Fidei Christianæ, & conservanda Virginitate trucidata fuit.

30. S. Ferdinandus III. Rex Castellæ plurium Monasteriorum S. N. Ordinis Fundator, & eximius Benefactor. Eodem die Sanctissimè obiit Illustrissima Eleonora Mater S. P. N. Felicis Valesii, in Monasterio Claravallensi S. Bernardi (ut ex ejus veteri Kalendario constat) sepulturam accepit.

S. Raphaëlis Archangeli S. N. Ordinis solemne Festum celebratur Dominicâ 3. post Pascha.

In Monasterio SSS. Trinitatis Constantinopolitano Antonius Calderon, Ludovicus, Ferdinandus, Angelus à Toleto ex Stirpe Ducum Albæ, Sebastianus, Ambrosius Frexo, Dominicus à SSS. Trinitate, Casparus Studillo, Rodericus Munoz, Joannes Strada, Damianus à Castro, Petrus à S. Augustino, omnes BB. Martyres, quorum guttura in odium Orthodoxæ Fidei in ipsis diebus festivis Pentecostalibus transfixa fuêre.

Universi Trinitarii Ordinis solemnissimum atque celeberrimum Titulare Festum Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis circa hos dies Festum mobile cum Octava. Item Festum Corporis Christi, Festum ejusdem Ordinis celeberrimum.

JUNIUS.

2. IN Gallia P. Emmanuel à Costa Hispanus ab hæreticis capite in odium Fidei amputato, Martyrio coronatus est.

3. Petrus de Corbelio in Accademia Parisiensi SS. Theologiæ Doctor & Professor S. P. N. Joannis de Matta unus de primis Sociis, pòst Episcopus Cameracensis in Belgio, tandem Archi-Episcopus Sennonensis in Gallia ab Innocentio III. creatus est, adversus Albigenses Hæreticos strenuè decertavit, hâc die cursum consummavit.

23. Nativitas S. P. N. Joannis de Matta.

24. Nativitas S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini, *S. N.* Ordinis Festum. Eodem die Cornelius Urbis Limericensis Pontifex, Doctrinâ, & Sanctitate illustris, cùm die S. Joannis Baptistæ Concionem ad Populum haberet, à Regis Angliæ Ministris captus, & in carcerem detrusus, brevi ibidem capite truncatus est.

29. Tornaci Nerviorum Belgio Henricus Gaudavensis, è nobilissima Bonicollorum Familia à teneris annis optimis moribus, & liberalibus disciplinis imbutus, Coloniæ Alberti Magni Auditor, S. Thomæ Aquinatis Condiscipulus, annos natus 25. S. Theologiæ Doctor nunciatus Philosophiam & Theol*ogiam* publicè professus est, demùm in Accademia Parisiensi tunc florentissima titulum Doctoris solemnis promeruit, plurimos & doctissimos edidit libros, obiit Archi-Diaconus Tornacensis.

30. Hispali in Hispania V. P. Marcellinus à *S.* Bartholomeo, Vir etiam in minimis observantissimus, viginti annis gravibus corporis infirmitatibus conflictatus, prudentiâ, consilio & discretione valuit. Hâc die ad patientiæ premium & laborum meritum in cœlum evolavit.

In monasterio Aberdonensi Memoria B. Alexandri Sophocordii, hic tam eximius Concionator, ut innumeri ex remotissimis Britanniæ & Hiberniæ partibus Aberdoniam confluerent, ut ab illo in Christiana Religione ædificarentur; dum verò in concionibus suis reprehenderet pravos quorumdam Episcoporum

porum

porum mores & vitia, indignatus Guilielmus Elphistonius Episcopus eum jussit in carcerem detrudi, ille verò Episcopi mandato obediens lubens in carcerem perrexit; accidit autem, ut clauso carceris ostio ferrea clavis Lictoris manibus adhæreret, nec ullâ ratione avelli posset, nisi carceris janua aperietur, quod ubi Episcopo nuntiatum est, Miraculo tam evidenti convictus, jussit educi de carcere B. Alexandrum, acersitoque ad se, ut sibi ignosceret, rogavit. B. Alexander nullâ se affectum injuriâ respondit, atque adeo non opus esse ut ignosceret: Episcopus igitur facti pœnitens, ut Deo & hominibus satisfaceret, Monachum ejusdem Ordinis induit, & sanctè posteà per octo annos ad mortem usque rexit Episcopatum.

In Anglia P. Philippus ab Hæreticis captus primùm diris verberibus cæditur, ut à Catholica Religione deficeret, inde constans Apostolicæ Fidei assertor vasto trunco alligatus, & ocreis ex corio olio saleque illitis pedes cruraque induitur, & admoto igne ad genua usque coquitur, ossibus dissipatâ carne nudatis; cùm ne hoc quidem truculento cruciatu pristinam opinionem ab invicto Philippi animo tyranni avellere possent, pro tanto beneficio gratias alacriter agentem capite plectunt.

Ibidem P. Stephanus facundus Divini Verbi Præco, vitæ eximiæ laude notus, non procul ab oppido Valeford ab Anglis captus, cæcum videre, mutumque loqui fecit, multis pugionum ictibus confossus est.

J U L I U S.

2. Visitatio B. V. Mariæ.

7. Apud Indos S. Petrus de Covillan Minister Ulisiponensis, hic primus post S. Thomam Apostolum in illis regionibus Christi Fidem prædicavit, atque in Evangelicæ doctrinæ testimonium sanguinem suum fudit à Gentilibus sagittis transfossus; in suo Martyrio hæc prædixit: Breviter novus Ordo excitabitur in Ecclesia Dei Clericorum sub Nomine Jesu, unusque ex illis primævis Patribus divino ductus Spiritu in

remotissimam orientalis Regionem penetrabit, maximaque porro illius ejusque divini eloquii prædicationem amplectetur.

8\. Pampilonæ V. F. Gregorius à Sanctissimo Sacramento Donatus, in sæculo militiam secutus, Castris Trinitariis adscriptus omnes partes boni militis explevit, dum contra mundum, diabolum, & se ipsum strenuè pugnavit, mundum humilitate, diabolum & seipsum pœnitentiis & orationibus vicit, dono etiam lachrymarum præditus, obiit hâc die in cœlo triumphaturus.

12\. Algerii in Africa Claudius Majoricensis, & Joannes ejus Socius Redemptores Captivorum in horridum carcerem detrusi, post longos cruciatus in odium Fidei capite plexi sunt, Corpora eorum in rogum injecta in cineres sunt redacta.

14\. Vallisoleti V. F. Petrus à S. Maria Magdalena, complexionis colericæ homo fuerat, dum prætendit Ordinem probatus, verùm ut nimiùm iracundus reprobatus est; sensit ille obicem & diaboli astutiam, etiam naturam mutavit, ut patientia ejus & pax postmodum in multorum admirationem reluxerit; Angelo custodi devotissimus fuit, quem Angelum pacis invocavit, cujus assistentiam multoties sensit. Hâc die ad Superos translatus, quem Persona devota sereno vultu cœlestique jucunditate frui vidit.

16\. Triumphus S. Crucis in Hispania, celebre Festum, ob victoriam contra Mauros ad naves Tholossas miraculosè reportatam, institutum, ubi Crux vario colore, rubro nimirum & cœruleo, ut est Trinitaria, in aere in signum victoriæ apparuit. Eodem die Perusiæ obiit Innocentius *III.* Summus Pontifex, Sacri nostri Ordinis Pater & Institutor, quem singulari paterno affectu tam spiritualibus gratiis, quàm temporalibus bonis promovit & locupletavit.

18\. Romæ in Monasterio S. Thomæ deformis B. Joannes Anglicus Doctor Parisiensis, primus post S. P. N. Joannem de Matta majorem Ordinis administrationem suscepit, morum probitate, regularique observantiâ S. Prædecessoris sui vestigia legens in Redemptione Captivorum maximam sollicitudinem gessit, vitâ brevis, hàc die obiit, juxta S. Joannis sepulchrum humatus, requiescit.

21\. Mau-

21. Maurochi Lybici Imperii Metropoli Beati Patritius & Guilielmus Redemptores, qui liberatos Captivos in patriam remiserunt, ipsi remanentes magno zelo Evangelium prædicârunt, plurimosque ad Christi Fidem converterunt, quapropter accusati in carcerem detrusi, in eoque sine cibo & potu per quindecim dies detenti, ab Angelo sunt enutriti; tandem hâc die extra civitatis portam in odium Fidei flammis consumpti sunt, eoque tam glorioso certamine vitas absolverunt.

22. S. Maria Magdalena, cujus eremum prope Massiliam S.P.N. Joannes de Matta aliquandiu coluit successor, & virtutis ac Sanctitatis ejusdem æmulator.

23. Hispali in Hispania V. P. Antonius à Spiritu sancto nobilissimâ atque ditissimâ stirpe ortus Ordinem SSS. Trinitatis renitentibus Parentibus ingressus, S. Antonii Eremitæ acerrimus extitit æmulator, omnes unus virtutes complexus est, præcipuè amore divino eximius, in charitate erga proximum incomparabilis: gratiam conciliandi inimicorum animos à Deo obtinuit, innumeris in vita & post mortem claruit miraculis: hâc die magnâ sanctitatis opinione emisit spiritum. Eodem die Parisiis obiit Rudolphus de Viniaco Ordinis SSS. Trinitatis Major ac Generalis Minister, Vir insignis, & in suo munere vigilantissimus.

In Anglicana persecutione Guilielmus Minister Conventûs Oxoniensis simul cum 87. Religiosis suo in Conventu ab hæreticis capite truncatus est, Thomas Marsilius vero laqueo vitam ibidem finivit.

Richardus Vedester Socius Conventus de Ingham Diœcesis Norvicensis unà cum fratribus Jacobo Hutom, Gulliermo, Roberto, Thoma, & aliis 80. Religiosis ejusdem Conventûs ab irruentibus Anglis hæreticis Martyrii Palmam obtinuerunt; quos ad eandem Palmam secuti sunt Patres incerti Monasterii Dionysius, Faustus, Thomas, Theobaldus, & Ludovicus Regius.

A U G U S T U S.

1. B. Petrus dictus à Charitate, quam sanè magnam ostendit lue sæviente Ubedæ erga pauperes & infirmos: quâdam autem die urgente violenter egestate apparuit ei puer admodum formosus, qui se Raphaëlem Archangelum asseruit Ordinis habitu indutus. Is autem impresso panibus S. Crucis signo in majorem molem & subsidium egenorum produxit. Etiam mortuos suscitavit, triennio superfuit lui contagiosæ, hâc die emisit spiritum, sepulchrum ejus pauperes accesserunt cum gemitu orantes: *B. P. Petre respice filios tuos, & danobis eleemosynam, nam fame perimus.* Quibus ille retulit: *Jam audio vos;* & exertâ manu busto porrexit singulis panem. Eodem die P. Bartolomeus Fernandez ab Hæreticis pro Christi Fide occisus Martyris Lauream adeptus est. Delusnes in Scotia Robertus Billingham Oxoniensis Academiæ Doctor ex urbe Granata multos Fidelium captivorum erutos libertate donavit, multis functus laboribus hâc die in pace quievit.

6. Transfiguratio Domini, S. N. Ordinis Festum.

7. In Monasterio Montis Pesulani, Guilielmus Ribellis ejusdem Monasterii Minister cum suis Religiosis ab Hugonotis *in* puteum conjectus & lapidibus abrutus hac die Martyrium complevit.

15. Assumptio B. V. Mariæ, S. N. Ordinis Festum.

20. S. Bernardus Abbas Claravallensis, S. P. N. *Felicis* Valesii Magister & Pædagogus. S. N. Ordinis Festum.

21. BB. Martyres Equites Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, de quibus hac die Martyrologium Albigense: *Anno CCCCIII. Molanus & Jofredus Anglici instituerunt Ordinem in honorem sanctæ Trinitatis ad redimendum Captivos: permansit Ordo ille ad annum DCCLXV. qui cùm essent pauci in Gracia Martyrio coronati sunt.*

23. In Monasterio Toletano Fr. Hilarion à Matre Dei, ut Deo, & piis operibus vacaret, Laïcum in Ordine Trinitario professus est, ubi cum infernalibus inimicis perpetuum bellum gerens ob-

obtentâ victoriâ plurima perpessus est. Obiit sanctè & piè, demonstratâ magnâ vultûs hilaritate.

25. S. Ludovicus IX. Rex Francorum plurimis Cœnobiorum Nostri Sacri Ordinis Fundator & insignis Benefactor.

30. S. Fiacrius Eremita Regis Scotorum Filius, cui S. P. N. Felix Valesius in eadem eremo Meldensi erat successor.

31. V. F. Joannes à sancta Catharina, robustissimis viribus, priùs Militiam, postmodum Eremum secutus est, tandem propriâ voluntate abnegatâ, ut sub obedientia plus mereretur, Trinitarium in statu Donati professus est, ubi humilitate & obedientiâ mirabiliter eluxit: obiit peregrè in Monasterio Talabricensi Nostrorum PP. Observantium, magnâ veneratione sepulturam accepit.

V. Soror Anna Vasauri de Segura Institutum Ordinis Monialium sanctissimæ Trinitatis in Monasterio de Villena Diœcesis Cartaginensis & Murciensis, ex Consilio S. Theresiæ à Jesu, amplexa est: Jejuniis, orationibus, vigiliis, aliisque operibus pietatis intenta, sanctum Deo famulatum impendebat. Cùm Gregorius XV. Pontifex in Album Sanctorum Nomen S. Theresiæ adscripsisset, & hoc perjucundum nuntium ad Civitatem de Villena adventasset, Monialis præfata cùm audisset Ecclesiarum prædictæ Civitatis cimbala pulsantia, & Soror Anna cum Monialibus simul in Claustro Monasterii operi manuum intenta esset, prorumpens in lachrymas præ gaudio hæc protulit verba: *O bone Deus, quibus Antiphonis Summus Pontifex Sanctam Theresiam Magistram meam spiritualem decoravit?* Vix hæc dixerat, cùm è cœlo lapsa esset (videntibus omnibus Monialibus) Antiphona; cecidit nimirum super Scapulare ipsius Annæ schedula ipsâ nive candidior, longitudine unius palmi cum dimidio, in qua scriptæ erant Antiphonæ cum Versiculis & Responsoriis, tam ad Vesperas, quàm ad Matutinum.

Memoria insignis Viri Petri Nobar, natione Angli. Hic ob religiosam observantiam, magnamque literaturam electus Patriarcha Constantinopolitanus, B. Virginis Mariæ devotissimus cliens, Sacellum à se Constantinopoli fundatum, purissimæ ejus Conceptioni consecratum voluit.

SEPTEM-

SEPTEMBER.

1. BAbiloniæ in Ægypto B. Arthurus cum Sociis Martyrii Lauream obtinuit: hic Onelli Principis Filius Ordinem SSS. Trinitatis professus, generis nobilitatem operum probitate æquavit, Doctoris lauream in Theologia, ac in utroque Jure assecutus. Religionis nostræ Provinciam in Hybernia magno omnium plausu bis administravit. In Albione sive minore Scotia Ordinis Cœnobia aliquot exstruxit. Ferganimo & Patricio assumptis Sociis Gentilibus Fidem Christi prædicavit, multos magnosque terrorum anfractus emensi in Regiam Amaræ Presbyteri Joannis devenerunt. Ibi biennio morati, ab illo Principe humanissimè excepti, *Albi Apostoli* à vestium candore vocati fuêre; inde Babiloniam migrati cùm Christum constanter prædicarent, ad mortem quæsiti & comprehensi, hâc die illustrissimo Martyrio finem laboribus dederunt: Arthurus igni injectus, alii verubus infixi vitam pro Christo posuêre.

2. In Collegio Salmanticensi V. P. Franciscus à Jesu Maria, insignis Verbi Divini Ecclesiastes, sui corporis rigidissimus persecutor, Superior electus hoc unum levamen habuit, quo liberiùs pœnitentiam agere potuit, erga subditos benignus, erga pauperes liberalis, hàc die plurium lachrymis omnium dolore, ac desiderio, optimus Præsul magnâ Sanctitatis opinione decessit.

6. Festum S. Angeli Sacri nostri Ordinis Custodis.

7. Madriti V. P. Gabriël ab Assumptione in Universitate Complutensi ingeniosissimus Theologus, spretis omnibus, quas sperare poterat de ingenio, dignitatibus in Sacro nostro Ordine latere, & Soli Deo servire elegit, in omnibus obedientissimus, ad dignitates Ordinis vocatus, pro viribus repugnavit. Primus Captivorum Redemptor, primus Vicarius Generalis, primus Major ac Generalis Minister in Ordine Discalceato SSS. Trinitatis esse debuit, licèt coactus; pro incremento Ordinis tam spirituali quàm temporali insatiabiliter laboravit, laboribus & meritis plenus hâc die laborum merce-

mercedem in Cœlis recepturus abiit. Corpus ejus ſeptem poſt obitum annis effoſſum incorruptum inventum eſt.

8. Nativitas B. V. Mariæ, S. N. Ordinis Feſtum, in quo S. P. N. Felix Valeſius illuſtrem favorem à B. Virgine accepit: dormientibus ſiquidem cunctis Fratribus, & ad Matutinas preces in pervigilio Nativitatis Deiparæ mediâ nocte recitandas, Deo ſic diſponente, non ſurgentibus, Felix de more vigilans, & horas præveniens, Chorum ingreſſus reperit Beatam Virginem in medio Chori Habitu Cruce Ordinis inſignito indutam, ac Cœlitibus ſimiliter indutis ſociatam. Quibus permixtus Felix præcinente Deiparâ Laudes Divinas concinuit, riteque perſolvit.

Dominica infra Nativitatis Octavam, Feſtum B. Mariæ Virginis, Sacri noſtri Ordinis Feſtum.

9. Tuneti Berengarius & Rudolphus Monaſteriis Scotiæ & Angliæ in adimplendo Sanctæ Redemptionis munere, poſtquam 260. Captivos libertati donâſſent, pro exploratoribus Regis Angliæ in carcerem à Mauris detruſi in ardentem rogum conjecti ſunt. Eodem die Eugenius Hibernus Doctor SS. Theologiæ, Miniſter Provincialis Hiberniæ, hic ter Chriſtianos Captivos redemit, in ſecunda redemptione cùm æs totum in Redemptorum libertatem impendiſſet, occurrit illi captivus Sacerdos ingenti calamitatis mole preſſus, quem ut B. Eugenius à ſervitute liberum dimitteret, ſeipſum in promiſſi pretii pignus tradidit, apud quos captivus mânſit, donec ex Athanienſi Cœnobio pretium fuit miſſum: quartò quoque cum duobus noſtræ Religionis Profeſſoribus ad Chriſtianos redimendos Conſtantinopolim adiit, ubi cùm à perfidis totâ pecuniâ ſpoliati fuiſſent in ignem conjiciuntur. Cæſar Auguſtæ V. P. Stephanus à Jeſu illuſtri Familiâ natus, in Ordine SSS. Trinitatis virtute nobilitari deſideravit. Fœminam nullam nec matrem in facie aſpicere voluit Angelicus Juvenis, nunquam verbum niſi maximè neceſſarium emiſit optimus Religioſus, etiam in minimis obſervantiſſimus. Paulò ante obitum ſenſibus abſorptus ecſtaſim paſſus aliquando ſubmiſsè loquebatur, mox altiori voce dicere cæpit: *O quàm bonus es Deus! O Magnus Deus! O quàm potens eſt Deus! Felix Religio in magna emi-*

eminentia & æstimatione es coram Sua Majestate valde placens & accepta es. Tacere jussus à præsente Ministro, respondit: *non est tempus tacendi, vidi ego, Deus mihi demonstravit.* Sibi redditus ut P. Ministrum vidit, à quo tacere jussus, humiliter veniam petiit, significando interiorem vim, qui causavit hunc impetum, paulò post vitam finiit, tribus post ejus abitum annis corpus ejus repertum est incorruptum, & suavem spirans odorem.

11. Madriti V. P. Franciscus à Virgine, Amore erga Deum, & charitate erga proximum insignis, nec non eximius Cultor Marianus, præcipuè Immaculatæ Virginis Conceptioni devotissimus, vixit inter Fratres absque querela, hâc die in gratia Baptismali, ut Confessarius ejus revelavit, mortuus est.

12. In Monasterio Granatensi Festum Beatissimæ Virginis Mariæ de Gratia, quæ inibi innumeris claret miraculis, & ex universa penè Hispania ingenti populorum concursu & devotione celebratur. Ibidem eodem die V. F. Joannes à S. Gregorio, qui à decimo ætatis anno in solitudine usque ad trigesimum quartum vivens, Ordinem SSS. Trinitatis tanquam securiorem portum petiit; Granatæ ejusdem prædictæ miraculosæ Imaginis Author in solemnitate hac cælestem operum suorum retributionem accepit. Romæ Antonius Serdanus primò Canonicus Majoris Ecclesiæ Majoricensis, demùm Cœnobita nostri Ordinis in Monasterio Spiritûs Sancti Majoricæ: Hic Messanensis Archi-Episcopus & S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis titulo S. Chrisogoni creatus est. *Princeps Theologorum* à Pio II. appellatus est, eundem ob ejus Doctrinam & Sanctitatem Nicolaus V. Philosophiæ studiis, & arcanorum Sacræ Theologiæ cognitioni ex omnibus sibi elegerat; hujus operâ Pax inter Florentinos & Alphonsum Regem facta, obiit Romæ, Corpus ejus in vestibulo Sacræ Basilicæ Apostolorum sepultum est.

13. Tuneti in Africa Rudolphus & Richardus Redemptores multis in Redemptione Captivorum exantlatis laboribus 311. Captivos in libertatem asseruerunt, quos in suam cujuscunque Patriam dimiserunt, Redemptores ipsi obsides pro pre-

tio

tio aliquandiu ibidem remanentes, interim in horridum fœtidumque carcerem detrusi, tandem in odium Fidei eadem die. capite plexi sunt.

15. Octava Nativitatis Beatissimæ Virginis Mariæ.

21. In Monasterio Cervi frigidi Petrus Purreyo Major ac Generalis Minister, Vir præclarus, & ad omnia sollicitus, Ordinem tam optimis moribus, quàm cæteris, quæ Ordinis erant, insigniter ampliavit, hâc die suæ administrationis finem & meritum accepit.

26. Granatæ V. F. Michaël à S. Hieronymo Professione Laïcus, Vir verè mitis & humilis corde, cæterisque religiosis virtutibus consummatus, cujus pretiosa in conspectu Domini mors pluribus cœlitùs fuit revelata.

29. Madriti V. P. Simon de Rojas, nobili stemmate ortus, futuram Sanctitatem in infantia declaravit, decimo mense suæ ætatis sabbatinum jejunium inchoavit, primum verbum quod locutus fuit, erat *Ave Maria*. In Ordine SSS. Trinitatis adscriptus, Doctrinæ & Sanctitatis suæ radios emisit, Serenissimam Reginam D. Margaritham de Austria Philippi III. Regis Catholici Consortem in sua ultima infirmitate sensibus destitutam, neque Sacramentis provisam, solo dicto, *Ave Maria*, sensibus restituit. Isabellæ de Borbon Reginæ Hispaniarum Confessarius fundavit Congregationem de *Ave Maria*, quam Paulus V. confirmavit. Plurima Suæ Sanctitatis edidit specimina, prophetiæ dono clarus, in vita & post mortem plurima patravit miracula, quæ legitimè examinata approbata fuêre, Corpus ejus de licentia Nuntii Apostolici elevatum incorruptum inventum est, in loco eminentiori collocatum magno honore visitatur. Urbanus VIII. ad instantiam Regum Catholicorum, Regni & Religionis pro ejus Canonizatione informationes ordinavit.

Granatæ Gloriosi Martyres Augustinus de Casar, & Socii ejus Robertus & Albertus, natione Flandri, in odium Fidei capite truncati sunt.

In Hibernia P. Thadæus Obrien ex stirpe Principum Tomoniæ annorum 50, canitie & pietate venerabilis, cùm in itinere inter Limericum & Killociam apud Bonbristium pontem

Anglum Proregem offendisset, interroganti quis Papa erat? Christi Vicarium, Divique Petri Successorem esse respondit. Tum Prorex: *Audes propter hoc mori?* Religiosus: *Utinam*, inquit, *mihi liceret ob hanc veritatem tuendam vitam cum morte commutare; O quantâ lætitiâ conditionem accipiam. Ut hoc*, inquit, *gaudio afficiaris, efficiam illico.* Tyrannus equos admoveri jussit, ad quorum caudas distentus Religiosus ligatur, inde in diversum iter equi concitati, corpore Martyris lacerato membra quæque in vinculis inhæserunt. A tanta feritate spectaculi ipsi etiam Angli oculos avertebant, & simul quantâ magnitudine animique lætitiâ mortem subierit, Martyrem admirabantur.

Ibidem in Monasterio Athariensi Robertus Burrlius Minister, habitâ concione cæteros hortatur, ne mortem, si necesse habent, pro Christi lege tuenda subire abviant, neque multò pòst à tribus Anglorum cohortibus circumfusi quinquaginta Religiosi uno momento horæ summo supplicio afficiuntur. Robertus & plerique securri percutiuntur, aliique sicis confodiuntur, nonnulli in furcam efferuntur.

OCTOBER.

1. S. Franciscus Ramisæus Monasterii Berchinensis in *Scotia* Professus, ad Episcopatum Casæ Claudiæ repugnante Clero miraculo est assumptus, Sedem illam 29. annis magnâ suâ laude, & suorum utilitate administravit; hâc die obiit, & in sua Ecclesia sepelitur. Romæ eodem die obiit Robertus Herbertus Conventûs Corcagiensis in Hibernia Alumnus, SS. Theologiæ Doctor Oxoniensis, insignis Verbi Divini Ecclesiastes, à Bonifacio VIII. S. R. Ecclesiæ Diaconus Cardinalis titulo S. Mariæ in Cosmedin creatus fuit, obiit in Monasterio S. Thomæ de formis ad Patres sui Ordinis sepultus est.

3. Madriti V. F. Didacus ab Ascensione sexagesimo quarto suæ ætatis anno, superatis plurimis difficultatibus Habitum Ordinis impetravit, Laïcum professus, vivum perfecti Religiosi fuit exemplar; cum continuo jejunio & pœnitentia admodum laboriosus, à matutino mediæ noctis nunquam defecit, charitati-

ritativus, patiens, ſincerus, pauper, & humilis omnibus in actionibus cognoſcebatur; tribus quatuor Miſſæ Sacrificiis quotidiè ſerviebat, in puritate Angelus, ſedecim annis in Religione cunctis admirantibus duravit, defunctus eſt octuagenarius.

4. Madriti V. F. Bernardus à Matre Dei, Laïcus, poſtquam ſeptem annis vixiſſet in eremo, reliquum vitæ tempus in noſtra Religione magnâ pœnitentiâ, mortificatione, & profecto plurium animarum complevit, in perferendis injuriis humilis & tacens, ſuâ ſanctâ converſatione plurimas lucratus eſt animas, prophetiæ dono clarus, miraculorum gloriâ illuſtris, obiit hâc die, magnâ ſanctitatis relictâ opinione.

7. Valentiæ Feſtum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Remedio; Statua à Mauris redempta multis claret miraculis. Hujus Patrocinio eâdem die Joannes de Auſtria Dux univerſæ Chriſtianorum Principum Claſſis Generaliſſimus celebrem victoriam contra Mauros reportavit. Eodem die innumeris pro Deo & Eccleſia Dei perſunctus laboribus, B. Theobaldus Bleſenſis & Campanenſis, Comes S. P. N. Felicis Avunculus inter Angelorum Concentus feliciſſimè tranſiit. Eodem die Madriti obiit V. P. Thomas de B. Virgine, Villanovanus, Hiſpaniæ mirabile virtutum & patientiæ exemplar, apparitione B. V. Immaculatæ, & Avunculi S. Thomæ de Villanova animatus, hilariter morbum 40. & decubias 34. annorum pertulit, meruitque infinita miracula, & potiſſimùm in levandis inſomniis ejus interceſſione, & imagine à Deo patrari experimento multiplici, compertum eſt; ſepultus eſt in Conventu Ordinis Madriti. Granatæ eodem die V. P. Joannes à Sancta Maria dictus Minor, ad diſtinctionem alterius Joannis ejuſdem Cognominis, Illuſtribus ortus Natalibus, in infirmitate B. Virgini de Gratia vovit ingreſſum Ordinis SSS. Trinitatis, ſi ſanaretur; ſanus factus, votum reddidit, ubi omnium virtutum extitit conſummatum exemplar, Beatiſſimæ Virginis Mariæ devotiſſimus Capellanus ſcientiâ, conſilio, prudentiâ, & diſcretione ſupra ætatem valuit, de quibus dum Religio ſibi plurima promitteret, hâc vitâ piè deceſſit in flore ætatis.

9. Cordubæ P. Mathias à S. Joanne Evangeliſta infirmo ſem-

per corpore à rigore Religionis nihil remisit, à communicatione creaturarum remotissimus, multis animabus profuit Sacramento Pœnitentiæ perfectissimus Confessarius, hâc die magnâ pace quievit.

10. Vallisoleti V. P. Dominicus à Purificatione corporis sui acerrimus persecutor, cilicium nec in infirmitate dimisit, oratione multos à Deo favores impetravit, exhortationibus multos ad arduam virtutis semitam reduxit, patravit mirabilia; obiit cum sanctitatis opinione.

15. Dedicatio Ecclesiarum totius Ordinis sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

22. Octava Dedicationis Ecclesiarum. Eodem die Madriti Fr. Petrus à Jesu, professûs sui spiritualis studiosissimus, obedientiâ, humilitate, patientiâ, & charitate excelluit, omnium virtutum vitâ & opere Magister fuit, dum vix duos in Religione exegisset annos.

24. Thomas Wrigth Anglus, Parisiis Alexandrum de Ales Magistrum, S. Bonaventuram condiscipulum habuit, inter Doctores Sorbonicos annumeratus, Minister Conventûs Parisiensis, Minister Provincialis per Angliam electus, dignitatem humiliter abdicavit. Ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi Presbiter Cardinalis tit. S. Crucis creatus est. Demum Archi-Episcopus Tuamensis obiit, sepultus *est in* sua Ecclesia. Parisiis eodem die vivere desiit Guido Multor Ordinis Trinitarii Major ac Generalis Minister, vir magnâ eruditione & pietate præditus, Redemptionem Captivorum admodum curavit, postquam octo annis Religioni præfuisset, obiit. In Ecclesia S. Mathurini *ejusdem* Ordinis ante summum Altare sepultus est.

26. Madriti, V. P. Sebastianus à Matre Dei, Nobili genere natus, dum Juri Canonico Compluti incumberet ad Ordinem SSS. Trinitatis à Deo vocatus est, ubi se in virtutibus mirabiliter exercuit: multa tractavit Ordinis Officia, obiit Redemptor Captivorum in summa senectute.

27. Torrejone de Velasco V. P. Martinus à SSS. Trinitate in observantia Regulari & exercitio virtutum vir perfectissimus, singularissimus B. Virginis cultor, à qua plures recepit gratias. Obiit

Obiit Novitiorum Magister, magnâ relictâ sanctitatis opinione.

Oxonii in Anglia Guilielmus Minister simul cum 87. Religiosis ab hæreticis in odium Fidei truncatus est. Item Rudolphus Minister Conventûs Montydunensis, & ejus socius Robertus eâdem persecutione gladio confossi, cum quibus alii 79. Religiosi pro Fide Catholica vitam, & sanguinem profuderunt ab hæreticis occisi. In Gallia P. Joannes de Naute Minister de Carduis ab hæreticis captus, cùm 12. sui Monasterii Religiosi paulò antè cervices suas Carnifici lubenti animo in testimonium Evangelicæ veritatis tradidissent, ipse verò Joannes in medio fori suspensus vitæ terminos posuit.

NOVEMBER.

1. Festum Omnium Sanctorum. Eodem die Martyris Lauream obtinuit B. Joannes de Burgos, Granatam missus ad liberandos Captivos à Mauris captus, omnibus redemptionis pecuniis spoliatus Almeriam ductus est, & in carcerem trusus, tum flagellatus, acerbè denique gladio guttur ejus transfixum, occubuit Martyr.

2. Commemoratio omnium Fidelium defunctorum.

4. In Monasterio Cervi frigidi obitus S. P. N. Felicis de Valois, sanctissimi Fundatoris Ordinis nostri.

10. Salmanticæ Fr. Michaël à Conceptione, Religiosus Laicus, Vir probatæ virtutis, ut suæ mortis horam prædixit, ità obiit.

12. Renovatio votorum, sive Professionis Repetitio.

13. Festum Omnium Sanctorum Ordinis Nostri.

14. Commemoratio omnium defunctorum Religiosorum Ordinis Nostri.

16. Granatæ Ludovicus de Corduba & Ronquillo omnem suæ fortunæ aleam in Novitiatu prædixit; varia Ordinis officia laudabiliter tractavit, primùm Carthaginensis in India, demùm Teuxellensis Episcopus, relicto apud suas oves ingentis sui desiderio obiit Granatæ, sepultus in suo Monasterio retro Chorum. Quo loco cùm diu deinde, nescius quæ fabrica fieret, post 33. annos inventum est incorruptum Corpus

pus

pus ejus, & ipsa etiam paramenta quæ gestabat, quamvis egestæ sint 14. sportæ calcis, quæ desuper ipsum fusæ, infrà premebant. Duobus annis extra sepulchrum positus semper sibi constans & incorruptum, ut liquidò videre est in processu Juridico super iis confecto: & propterea Deus opt. Max. per ac propter eum plures gratias cœlitùs miraculosè præstitit, qui se ejus meritis commendârunt.

17. Guido Montis Feltrii Comes, militaribus imperiis & gloriâ ubique florentissimus, Ordinis sanctæ Trinitatis Habitum induit: & quam in omni actione expediti, præstantisque Viri personam præsetulerat, eam in tanta morum, ac vitæ diversitate præstitit, egregiè sanctè vitâ functus.

20. S. P. N. Felicis Valesii Gloriosissimi sacri nostri Ordinis Patriarchæ & Confundatoris, miraculis clarissimi, cujus solemnis Festivitas per Decretum Innocentii XI. in hunc diem translata est.

21. Præsentatio B. Virginis Mariæ in Templo Jerosolymis.

25. S. Catharinæ Virginis & Martyris, sacri nostri Ordinis Festum.

27. Octava S. P. N. Felicis Valesii.

29. Philippus Filius S. Ferdinandi Regis Castellæ, Eques Ordinis SSS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Commendator Ecclesiæ B. V. de Villasierga. Eodem die Romæ in Conventu S. Caroli ad quatuor fontes V. P. Joannes ab Annuntiatione, obiit. Vir sanguine & virtute nobilis, magnâ laude egit Romæ Procuratorem Generalem, ubi Pontifici ob ejus virtutes & gratiam acceptissimus, sed hoc ipso humilior; summopere gavisus fuit, quòd impeditum fuerit, ne fieret Cardinalis. Post mortem Urbani VIII. electus Innocentius X. qui dum post electionem suam in via ad Palatium pergeret, & P. Joannem videret, his eum clarè allocutus est: *P. Joannes, si perdidistis Papam amicum, habetis Papam amicum; si mortuus est Papa, qui vos facere voluit Cardinalem, Papam habetis qui vos faciet Cardinalem.*

In Florida Americæ Regione decessit P. Franciscus de Rupe Lusitanus; hic ad expeditionem Peruenam profectus Antalavillæ Hospitale ad infirmorum curam construxit, quibus ipse præ-

præfectus ad salutem necessaria ministrabat, etiam plures eorum signo sanctæ Crucis impresso sanitati restituit; denique meritis plenus in senectute bona obiit.

Sancia Filia Petri II. Aragonum Regis, & Soror B. Constantiæ Sancti-Monialis in Monasterio Avinganensi meritis & virtutibus insignis obiit. Ibidem Guilielma Villata de Monte Chateno, nobilissimis orta Natalibus, ipso virenti flore ætatis se Deo in Nostri Ordinis Asceterio mancipavit, multisque dotibus, & sanctæ conversationis praxibus insignis. Priorissa Avinganiæ migravit ad cœlos, acceptura tot virtutum & meritorum mercedem.

DECEMBER.

1. P. Joannes Major Conventûs Perinensis primus Minister memoriâ celebris obiit.

3. In Anglicana Persecutione Martyres Religiosi Conventûs Aberdonensis hâc die in passione suâ laureati fuêre, dum hæretici pro Catholica Fide defendenda laqueo eorum guttura strinxissent, & corpora in ardentem rogum injecissent. Nomina eorum, quæ sciuntur, sunt: Patricius Minister Franciscus, Nicolaus, Matheus, Thomas, Gabriel, Ambrosius, Joannes, Andreas, Silvester, Florentius, Climacus, Leaudus, Simon, Paulus, Emanuel, Robertus, Cornelius, Philippus, Cosmas & Augustinus. Omnes non tantùm sanguine, sed & virtute & Martyrio nobilissimi.

7. Vallisoleti Fr. Franciscus à sancto Joanne Baptista, Professione Laïcus, Vir summæ humilitatis & patientiæ, suorum verborum efficaciâ magnum causavit animarum fructum; specialiter in componendis discordiis & inimicitiis fuit eximius; hâc die magnâ pace quievit.

8. Conceptio Beatissimæ Virginis Mariæ ab omni peccato originali in primo suo instante immaculata, Festum in sacro Ordine & antiquissimum & celeberrimum. Eodem die sanctissimè obiit B. Stephanus Franco, Doctor Parisiensis, unus de primis S. P. N. Joannis de Matta discipulis: Hic propter eminentes virtutes, & scientiam ab Innocentio III. primò Archi-

Episcopus Reblisensis in Scotia, postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis titulo S. Calixti creatus est. Adfuit Concilio Lateranensi, ubi errores Joachimi Abbatis refutavit. Scripsit etiam contra Almericum Heresiarcham, qui liber in Monasterio Floriacensi invenitur. In Scotia B. Franciscus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Monachus hæreticis irreverenter, & nefariè in Monasterium suum Aberdonense irruentibus, obstare cupiens, vulneratus, & per scalas detractus, donec eliso cerebro animam victimam Cœlo reddidit.

13. P. Ferarius Grait quartus Minister Provincialis Aragoniæ, Vir pius & doctus, sacri eloquii Preco eximius, à Consiliis Jacobo I. Aragonum Regi, magnus & indefessus Captivorum Redemptor: Quippe cujus operâ è Maurorum vinculis liberati sunt circiter bis mille & triginta Christiani: primus de Gestis S. P. N. Joannis de Matta librum composuit.

15. Octava Immaculatæ Virginis Deiparæ Conceptionis.

17. Romæ obitus S. P. N. Joannis de Matta.

18. Parisiis Ordinatio S. P. N. Joannis de Matta, quæ ob insigne Prodigium est admiranda, ad hanc diem ex diligenti & accurato computu ad calculum venit. Compluti V. F. Petrus à Resurrectione per viginti duos annos coquus, ignem pro libro spirituali habebat, in quo pœnas inferni & damnatorum legebat, nullam requiem vel levamen in hac vita admisit humillimus Frater, hâc die ad æternam requiem & gaudia cœlestia à Deo vocatus est.

19. V. F. Petrus à Jesu Maria in Sæculo literis, in Religione virtutibus etiam Magistris causavit admirationem, per viam crucis & tribulationis secutus est Christum Redemptorem, interiùs scrupulos & tentationes, exteriùs infirmitates multas, & magnas tribulationes, pari resignatione, fortitudine, & pace tolleravit; totâ vitâ infernalium pœnarum timore & dolore circumdatus ingemuit, in morte solùm spe cœlestium prœmiorum recreari meruit, hinc nunquam lætus nisi in morte visus fuit, quâ & consolatus hâc die obiit.

21. Londini in Anglia Richardus Wiltonius Primus Minister Provincialis per Angliam & Scotiam, Doctoris SS. Theologiæ insignia adeptus est Cantabrigæ: ab Innocentio III. Armacha-

machanus Archi-Episcopus & Primas Hyberniæ, & denique à Gregorio IX. S. R. Ecclesiæ Cardinalis titulo S. Stephani in Monte Cœlio creatus est: scripsit plurima, Londini obiit, corpus ejus ad Monasterium de Montyndono translatum est.

25. Nativitas Domini Nostri Jesu Christi.

29. S. Thomas Archi-Episcopus Cantuariensis Eques Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

B. Petrus Butlerus (aliis Edmundus) Casaliæ Archi-Episcopus & vivus & mortuus miraculorum gloriâ Illustris.

S. Andreas ab Agrimonte primus Minister, & Fundator Domûs Santarensis, ac totius Provinciæ Lusitaniæ.

Carolus à Spiritu Sancto Vir magnæ Prudentiæ & dexteritatis in negociis tractandis, cum quo proinde Pontifex ardua quæque tractavit: à Gregorio X. S. R. Ecclesiæ Cardinalis creatus, fuit Gubernator Urbis Romæ, ubi obiit.



INDEX NOMINUM,

QUÆ IN HOC KALENDARIO REPERIUNTUR.

Eleo-

V. P.

Plurima sunt, Lector benevole, quæ ad hæc desiderari possent, sed nunc cum gratis parce; ut saves: gratis nimirum parcè tribuuntur. Desideriis tuis ut satisfaciam, faciam tam diligenter quam libenter; tantummodo pro me peccatore Deum atque Cœlites precare; dabo operam ut, quod à me magnopere contendis, ego comparem, & tu consequaris. Vale.

SOLI DEO GLORIA.

